








SYNODUS DIŒCESANA
SALERNITANA
AB EXCELLENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO
SALVATORE SPINELLI
ARCHIEPISCOPO
AC S. R. M. A LATERE CONSILIARIO

In Cathedrali Metropolitana Ecclesia Celebrata
Kalendis Martii

Reparatæ salutis anno MDCCCIII.





NEAPOLI. MDCCCIV





ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

IN risulta della relazione di V. S. Ill., colla quale ha dato parte di essersi nella prima sessione del Sinodo Diocesano proceduto alla elezione degli Esaminatori Sinodali, descritti nella rassegnata nota, ad oggetto di non più ritardarsi la provvista delle vacanti Parrocchie; Le rescrivo nel Real nome, che il Re resta inteso; E vuole, che terminato il Sinodo, ne rimetta gl' atti per la Sov. approvazione secondo il solito. Napoli 5. Marzo 1803.

Illustrissimo Signore.

FRANCESCO MIGLIORINI.

Monsignor Arciv. di Salerno.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

AVendo rassegnato alla Sov. considerazione di S. M. gli atti del Sinodo Diocesano, tenuto da V. S. Ill., ha la M. S. ravvisato, che spiran essi da per tutto zelo, e carità cristiana, e che tendano al miglioramento de' divini ufficj, ed alla riforma del costume. Quindi, all' infuori de' statuti formati per cotesto Capitolo Cattedrale, de' quali spetta l' esame, e la cognizione alla Real Camera di S. Chiara, si degna il Re di lasciar correre colla Sovrana sua approvazione gli atti dell' indicato Sinodo, e ne permette altresì la stampa, quante volte V. S. Ill. così risolvesse; bene inteso, che in questo caso debba ella produrre una copia in istampa nell' Archivio della Delegazione della Real G. per futura ricordanza, e pel debito confronto. Napoli 3. Agosto 1803.

Illustrissimo Signore.

FRANCESCO MIGLIORINI.

Monsignor Arciv. di Salerno.

NOS D. SALVATOR SPINELLIUS ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS, PATRITIUS NEAPOLITANUS EX MARCHIONIBUS FUSCALDI &c. MISERATIONE DIVINA, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS, LUCANIÆ, BRUTIORUMQUE PRIMAS, UTILIS DOMINUS BAJULATIONIS, FIDÆ, AC DIFFIDÆ SUPER OMNIBUS TERRITORIIS STATUS MONTIS CORBINI, OLIBANI ALIORUMQUE JURIUM. ABBAS S.MARIÆ DE ALTILIA, BARO EJUSDEM TERRÆ IN CALABRIA ULTERIORI, AC S. R. M. A LATERE CONSILIARIUS &c.

Venerabilibus Fratribus nostris Reverendissimo Capitulo Nostræ Metropolitanæ Cathedralis, atque universo Clero, & dilectis Civitatis, & Diœcesis in Christo Filiis salutem in Domino sempiternam &c.

Cum in administrandis Catacensi, & Lyciensi Cathedralibus Ecclesiis diutina experientia luculenter nobis innotuerit, quantum publico, ac privato Fidelium bono prospiciatur, si omnium Diœceseos Sacerdotum Conventus habeantur, qui antiquorum Canonum jure singulis quibusque annis non semel, sed iterum erant cogendi, pro ut Concilio Lateranensi IV. probatum legitur, quique, etsi maxime utiles, attamen aut temporum injuria, aut frigescente præsulum sollicitudine eousque oblanguerant, ut plura effluxerint lustra, cum & Pastores, & Clerici in Sacrum cætum convenire neglexerint; idcirco adeo laudabilis consuetudinis restituendæ ergo, quotannis Diœcesanam Synodum celebrandam

præscripserunt Tridentini Patres. Hoc saluberrimo instituto permoti, ex quo ad hanc perinsignem Metropolim regendam, Divina Provvidentia sic misericorditer disponente, translati sumus, nihil nobis magis cordi fuit, quam ut Diœcesanam Synodum cogeremus. Quæ quidem Nobis huc primum ingressis jam pridem habita fuisset & absoluta, nisi recta regiminis ratio hoc adeo pergrande opus tum suscipiendum jussisset, cum universa perlustrata Diœcesi, ea cuncta, & singula potuissent facile innotescere mala, quibus ex Synodalibus hisce decretis per opportuna foret medicina comparanda.

Sed proh dolor! Etiam universa Diœceseos Visitatione, semel atque iterum absoluta, lacrymabili temporum adversante fortuna, quod maxime optabamus, haud exequi licuit: nunc autem, quia Divina favente gratia, rebus compositis proprio muneri Angelicis etiam humeris pergravi, quoad infirmitas humana patitur, facere possumus satis, nulla alia interposita mora, Diœcesanam Synodum convocandam esse duximus.

Præsentium igitur tenore Dilectos Nobis in Christo Dignitates & Canonicos Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aliarumque Collegiatarum hujus Diœceseos, nec non Parochos omnes, & Beneficiatos, Vicarios Foraneos, atque alias quascumque, & Regulares, & Sæculares Ecclesiasticas personas Civitatis, & Salernitanæ Diœcesis, omnes item, qui de jure, aut consuetudine Diœcesanæ Synodo quomodolibet interesse tenentur, hortamur, monemus, præcipimus virtute S. Obbedientiæ, & sub pœnis a Sacris Canonibus constitutis hujus Regni Legibus non adversis, & juris Ordine subeundis, ut Feria tertia post Dominicam I. Quadragesimæ, quæ erit dies prima mensis Martii hujusce anni 1803. in nostram Cathedralem Ecclesiam personaliter conveniant,

niant, non autem per Procuratorem, nisi legitima impediente caussa Nobis probanda, omnesque Sacris Vestibus Ordini, & Dignitati cujusque congruentibus induti, nec quisquam ipsorum audeat abscedere, nisi Synodo dimissa, & absoluta.

Quocumque igitur Locorum hæ Nostræ Indictionis Literæ perveniant, in omnibus addatur Missis Collecta de Spiritu Sancto, & per Parochos excitetur Populus, ut pias Deo fundat preces pro felici Synodi exitu impetrando a Patre Luminum, bonorum omnium Largitore provvidentissimo, cui sit honor, laus, & imperium sempiternum.

Et ut nemo ignorantiæ caussa possit juvari, volumus, ut præsens Indictionis Edictum ad valvas Cathedralis Ecclesiæ, aliarumque collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum affigatur, & unicuique, veluti personaliter denunciatum censeatur. Datum Salerni ex nostro Archiepiscopali Palatio die 29. mensis Januarii 1803.

Salvator Archiepiscopus Salernitanus.
Joseph Cuntò Cancel.

EX-

EXCELLENTISSIMUS, ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

SALVATOR SPINELLI

ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS

AD SUAM SYNODUM DIOECESANAM.

NE miremini, Fratres dilectissimi, si ceteris imperiis, regnis, ca rebus publicis longo temporis progressu collabentibus, sola Christi Ecclesia ita comparata sit, ut neque flumina, neque pluviae, neque venti illam obruere potuerint. Æternus enim Sacerdos Christus Dominus sponsam suam sanguine acquisitam aeterna lege aeterno Sacerdotio, perpetuo Pastorum Ministerio regit. Ipse quidem Christus aeternus est Ecclesiae suae Sacerdos: *tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Aeterna preterea lex, quam ipse Christus Pastoribus explicandam commisit: *docete quaecumque mandavi vobis*. Ipse etiam Apostolatum, cujus sonus in omnem terram exivit, perpetua successione per Episcopos perennavit: *constitues eos Principes super omnem terram*. Ipse demum Sponsae suae perpetuo se ad futurum promisit, ne unquam portae Inferi adversus eam valerent: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi*.

Cum vero lex semper, et ubique eadem sit, sive dogmata sive mores spectet, fit ut in synodis particularibus, et generalibus vel eadem lex explicetur, vel quaecunque opportuniora moribus corrigendis videntur, sapienter constituantur.

Hinc Ecclesia nihil magis curavit, quam ut Pastores nisi sac-

saepius, semel certe singulis annis suas synodos celebrarent, quo facilius praescriberentur, quae vel Ministrorum partibus rite perficiendis, vel Clericis honeste instituendis, vel sacramentis sancte administrandis, vel gregis Christi moribus emendandis magis magisque pro temporum, locorumque diversitate conducerent.

Quo circa cum vix ad hanc Metropolitanam Ecclesiam translatus fuerim, nihil vehementius exoptavi quam primam Dioecesanam Synodum celebrare. Quod equidem jamdiu praestitissem, nisi misera temporum ratio prohibuisset.

Nunc, Deo sic largiente, rem ipsam aggredior libentissime: Vosque fratres dilectissimi, quoad ejus fieri potest, adprecor, ut Vestram omnem curam, studium, ac sollicitudinem in eamdem rem convertatis; cum enim oculi mei Vos sitis, Vestrum erit in vineam Dei Sabahot collatis viribus mecum ad laborare, eamque excolere: quare aeternae Christi fidelium saluti prospicientes simul dabimus operam, ut non modo fidei puritatem sartam, tectamque tueamur, verum etiam ut corruptos Christianorum mores ad putioris fidei normam conformemus.

Quo vero fidelium mores facilius corrigantur, atque emendentur, nihil nobis magis curae sit oportet; quam ut consilia semper faciliora ad aeternam salutem consequendam, portumque salutis arripiendum eisdem proponamus. Hinc cum sancta sancte administranda, illud nobis ut cum maxime est curandum, ut ea sapientissime disponamus, quibus sacramenta religiose conficiantur atque administrentur. Ne vero Christi fideles, corrupta eorum vita, qui in sortem Domini sunt vocati., scandalum patiantur, summopere nobis clericorum moribus corrigendis, atque ecclesiasticae disciplinae restaurandae est ad vigilandum.

dum. Cum enim adolescentes, ac praesertim ii, qui divino cultui sunt emancipati recte, sancteque instituuntur, tum quidem optime sperandum, fore, ut quandoque non modo sua sanctitate ecclesiae sint ornamento, sed etiam suarum virtutum exemplo ceteros fideles ad alacrius viam mandatorum Domini currendam excitent.

Nostra praeterea interest, Sacrarum virginum, quae mundi voluptatibus perinde ac commodis posthabitis, et conculcatis, se se animo, et corpore Deo dicarunt, pietatem, ac religionem pro virili parte fovere. Hinc ea omnia, quae tantum opus, tam gratum Sponso, qui inter lilia pascitur, respiciunt, sancienda curabimus.

In illud quoque simul totam mentem, ingeniumque intendemus, ut Christi grex, sive totius dioecesis populus vitae pascua in sacramentis praecipue comparata inveniat. Quare duo nobis praestanda, ut fideles quam saepissime per poenitentiam Deo concilientur; et ut idonei semper ministri adsint, qui eos caritate excipiant, sedulo audiant, luculenter edoceant quaecumque aeternae ipsorum salutis sunt, ne unquam posthac in eadem scelera offendant, ac prolabantur. Quidquid porro ad id facilius perficiendum conducere potest, mature definiendum. Ne plura: in illud nobis simul incumbendum, ut quaecumque totius dioecesis moribus corrigendis, vitiis procul a mandandis, atque extirpandis, virtutibus excolendis opportuna sunt, ac necessaria, constituantur. Id enim a nobis exigit Legislatoris aeterna auctoritas, legis ipsius sanctitas, nostri ministerii puritas. Id igitur satagite, Fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum; pastorem vestrum opera, et consilio in re tam sancta, tam populo utili, Deoque accepta pro viribus adjuvate.

DE.

DECRETUM

DE INCHOANDA SYNODO

In nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis Patris, Filii, et Spiritus Sancti Amen &c.

NOS D. SALVATOR SPINELLIUS ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS, PATRITIUS NEAPOLITANUS EX MARCHIONIBUS FUSCALDI &c. MISERATIONE DIVINA, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS, LUCANIÆ, BRUTIORUMQUE PRIMAS; UTILIS DOMINUS BAJULATIONIS, FIDÆ, AC DIFFIDÆ SUPER OMNIBUS TERRITORIIS STATUS MONTIS CORBINI, OLIBANI, ALIORUMQUE JURIUM; ABBAS S. MARIÆ DE ALTILIA, ET BARO EJUSDEM TERRÆ IN CALABRIA ULTERIORI, NEC NON S. R. M. A LATERE CONSILIARIUS &c.

AD omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis Mariæ in Cælum Assumptæ, Beati Apostoli, & Evangelistæ Matthæi, aliorumque Sanctorum hujusce Civitatis, & Diœcesis tutelarium laudem, & gloriam hanc primam nostram Diœcesanam Synodum inchoamus, atque inchoatam esse denunciamus; proindeque Deum Patrem Luminum, omniumque bonorum largitorem enixe rogamus, ut mentes nostras gratia suæ visitationis illustret, & sui roris intima aspersione fœcundet.

Et

Et quoniam perantiquo positum est in more, sub primum Synodi exordium pro publico commodo supplicationem decernere, idcirco omnes huc acciti nosrris insistentes vestigiis Patrem misericordiarum Deum effusis lacrymis, nuncupatisque votis defatigent, ut dexter adsit, atque exoratus bonis omnibus maxime exoptandis cumulet PIUM VII. Pontificem Maximum, universamque illi creditam Ecclesiam, Regem nostrum FERDINANDUM IV., ejusque præclarissimam uxorem MARIAM CAROLINAM Reginam nostram tota cum Regia Prole, & denique hanc ipsam Synodum numeris omnibus ita absolvat, ut Clero, & Populo nostro bona, fausta, felixque contingat.

Ut autem omnia rite, recteque fiant hæc, quæ sequuntur edicimus.

DECRETUM

De præjudicio non inferendo, & non discedendo.

SI forte eveniat, ut quis aut contra suæ Dignitatis gradum incedat, sedeat, vocetur, aut aliquid aliud agat, nullum omnino ei inferatur præjudicium, aut sibi novum jus acquirat; sed omnia in eo statu permanere volumus, quo erant ante Synodum ipsam; a qua nemo ex illis, qui interesse tenentur, sine nostra expressa venia audeat abscedere antequam absolvatur: quocirca subsequentes eligimus Ministros, quorum ope fiat, ut rite eadem Synodus suscepta prosequatur.

PROMOTOREM SYNODI

Rev. Primicerium hujus Cathedralis Ecclesiæ D. Aloysium Maza.

SE-

SECRETARIUM SYNODI

Rev. Canonicum D. Fabium d' Avossa.

CANCELLARIUM SYNODI

Rev. D. Josephum Cuntò.

PROCURATORES CLERI

Rev. Dom. Canonicos D. Antonium Pinto, & D. Matthæum Mannelli.

MAGISTROS CŒREMONIARUM

Rev. D. Fortunatum Fasolini, & D. Vincentium Taddeo.

DECRETUM

De Synodalium Examinatorum Electione:

Explorato Sacrosancti Concilii Tridentini decreto sancitum est, ut in Diœcesana Synodo aliquot ætate, doctrina, & moribus præstantes viri sint eligendi, atque ab ipsa Synodo probandi pro illorum examine, qui Parœcialibus Ecclesiis sunt præficiendi; huic decreto inhærentes Examinatores Synodales eligimus, atque eidem Synodo proponimus sequentes, qui hujusmodi fungantur munere, donec altera habebitur Synodus.

ESAMINATORES SYNODALES CIVITATIS SALERNI

Rev. Dom. Archid. D. Matthæus Aceto.
Rev. Dom. Cantor D. Franciscus Mauro.
Rev. Dom. Primicerius D. Aloysius Maza.
Rev. Dom. Can. Theologus D. Paullus Guerrasio.
Rev. Dom. Can. D. Nicolaus M. Ferretti.
Rev. Dom. Can. D. Scipio Basso.
Rev. Dom. Car. D. Januarius Guida.
Rev. Can. D. Matthæus Mannelli.
Rev. Dom. Can. D. Vincentius Rosa.
Rev. Dom. Can. D. Joseph Galdi.
Rev. Dom. D. Carminus Guarini.
Rev. Paroc. D. Vincentius Scoles.
Rev. Paroc. D. Aloysius Jacuzio.

Rev. P. Lector emeritus Joseph Magalotti Prior S. Mariæ Gratiarum Congregationis B. Petri de Pisis.

Rev. F. Philippus de Pino Mag. Min. Conv. S. Francisci.

Rev. P. F. Antonius Cancellarius Ord. RR. PP. Prædicat. Admodum Rev. F. Casimirus a Sarno Provinc. ordinis S. Francisci Min. observantiæ.

Rev. F. Joseph Lissonio Lector S. Francisci Min. observ.

Adm. Rev. F. Raphael a Contursio Lector Ord. S. Francisci Reform.

Adm. Rev. F. Franciscus M. de Torchiara Ord. S. Francisci Cappucinorum.

Rev. F. Angelicus a Ferrandino Ord. S. Francisci Cappucinorum.

DE

DE CLERO DIŒCESIS

Reverendissimus D. Carolus la Monica Abbas S. Mariæ Matris Domini Ordinis S. Basilii.

Rev. Primicerius D. Joseph M. Pisciotti Terræ Ebuli.
Rev. Primicerius D. Januarius Tura Terræ Solophræ.
Rev. Parochus D. Rochus Vigilante Terræ Solophræ.
Rev. Parochus D. Petrus Serafino Status S. Severini.

CAPUT I.

De fide Catholica, ejusque Professione.

§. 1.

QUoniam ex Apostolo sine fide impossibile est placere Deo; ut enim Sanctus Leo testatur (a) *sine ipsa nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum umquam esse potest*; per illam namque corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem; immortales quisque gratias agat optimo bonorum omnium Datori beneficentissimo, qui nullis meritis, sed sola sua clementia ad illam vocavit.

§. 2.

Si ergo per ipsam corde creditur ad justitiam, impigram demus operam, omnesque nostras adhibeamus vires, ut fides illa, quam in Baptismo suscepimus, integra, atque omnis erroris expers sarta tecta servetur, & defendendæ ipsius ergo, ubi

(a) *Ser. IV. De Nativ.*

ubi opus fuerit, quodlibet vitæ discrimen subire minime dubitemus, atque in omnibus, quæ fidem spectant, nobis in animo fixum, immotumque sedeat, uni Ecclesiæ judicio prorsus subesse, qualibet ab ipsius præceptis vel parum aliena opinione rejecta: quapropter in rebus ejusdem fidei curiosam omnem inquisitionem declinantes, intellectum nostrum Christo in obsequium ejus adnitamur mancipare, Divo Bernardo morem gerentes, qui ait (a): *Nemini licitum esse in fide putare vel disputare pro libito, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum.*

§. 3.

Id potissimum Sacerdotes decet, qui nulli parcentes studio, & labori, non modo sibi ipsi debent ab erroribus cavere, sed alios etiam a veritate aberrantes protinus revocare, atque illius imperio subjicere; quos si fuerint errorum tenaces experti, ab se omnino, & Christiana societate amandare, si ad Divum Hieronymum velint spectare de se ita loquentem (b): *Fateor me . . . . . omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent.*

§. 4.

Oportet autem hanc fidem ipsam corde, ore, & totius corporis cultu ita profiteri, ut in omnibus actibus & publicis, & privatis Christi nomen præferentes majore semper in dies lumine perfundamur: Ita porro ad Deum accedentes adeo

(a) *Epist. 190.*
(b) *Lib. I. adver. Pelag.*

adeo ad illud alacriores simus, quod nobis offert Ecclesia credendum, ut in iis, quæ ab ipsa fide penitus animis nostris defixa edocti sumus, nullum vel levissimum dubium unquam obrepat.

§. 5.

Quo igitur studio potissimum debent Sacerdotes in hanc Fidem totius Christianæ Religionis fundamentum, & præsidium incumbere, ut eam populum edoceant, animum ejus præceptis imbuant, & Dogmata ejus ab omnibus insidiis, & maledictis integerrima vindicent, cum omnia Sacra, quibus sunt in Ecclesia operaturi, huic uni innitantur fidei?

§. 6.

Qua de re extrinsecus, & publice Horthodoxam Fidem coram Nobis, vel Vicario nostro Generali juxta formam in constitutione Pii Pp. IV. præscriptam, quæ incipit: *Injunctum nobis &c.* profiteri jubemus omnes, qui Dignitates, vel Canonicatus sunt consecuti in nostra Cathedrali, vel in aliis Collegialibus Ecclesiis hujus Diœcesis coram integro Capitulo, prout moris est. Cujus publicæ professionis haud liber esto quisquis beneficium aliquod adeptus, cui animarum inest cura: si enim duos intra menses scilicet a die possessionis id quis neglexerit, nec suos faciet fructus, neque ipsa possessio quidquam sibi suffragabitur.

§. 7.

In omnes denique sive ingenuarum artium, sive aliarum disciplinarum magistros, nisi huic eidem professioni fecerint satis, animadvertetur juxta Canonum præscripta legibus hujus Regni non adversa.

C A P. II.

De Doctrina Christiana.

§. 1.

FIdes, de qua modo sermonem instituimus, Divo Paullo teste (*a*). Ex auditu percipitur: auditus vero per verbum Christi. *Quomodo autem audient sine prædicante?* Subdit & Apostolus ipse. E quibus verbis ecquis non colligit, peculiarem in modum sacrorum Dei Ministrorum omnino referre, prima catholicæ Fidei rudimenta ignaris, & parvulis tradere?

§. 2.

Et re quidem vera quid majore caritate, & benevolentia studuit perficere ipsemet Christus æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quam rudem Populum coelestis Regni misteria familiaribus colloquiis edocere, parvulosque ad se venientes blande excipere, & benigne erudire, Apostolos etiam objurgans, qui illos arcere conabantur: *Sinite*, inquit, *parvulos ad me venire*.

§. 3.

(a) *Ad Rom. X. 7.*

§. 3.

Sed proh dolor ! Heu miseranda temporum vicissitudo ! Quid nunc magis dolendum , quam plurimos demirari nullo certo & fideli duce a via salutis aberrare , atque in præceps ruere , tot parvulos circumspicere panem petentes , nemo cum sit , qui frangat eis ?

§. 4.

Istiusmodi malo profecto debent potissimum occurrere , qui in sortem Domini sunt vocati , tamquam operarii ad colendam Ecclesiæ vineam missi , ut fructum ipsa ferat uberrimum , ne in eosdem merito dici queat : *Messis quidem multa , operarii autem pauci* (a).

§. 5.

Plena igitur animi nostri effusione hortamur omnes in Sanctuarii Ministros cooptatos , ut sedulam huic Apostolico muneri navent operam , amplissimam a Domino mercedem relaturi , certaque alliciente spe , nos ipsorum , in beneficiis conferendis , præ ceteris majorem habituros rationem.

§. 6.

Verum cum id muneris optimo jure Parochis mandatum sit , ut eodem ipsi , majore qua par est diligentia , fungantur , edicimus sub pœnis Canonicis ad patrii juris rationem , & pro modo culpæ irrogandis .

§. 7.

(a) *Luc. X.*

§. 7.

Parochis autem pueros erudientibus omnes suæ Paræciæ Clericos, etiam in sacris constitutos præsto esse jubemus, suisque pro viribus opem suppeditare; quorum nemo prorsus speret ad alios majores ordines se promotum iri, nisi plane nobis probetur, omni cura, atque assiduitate singulis Dominicis aliisque festis diebus, ubi utrumque viget præceptum, & toto tempore Quadragesimæ pueros quotidie Christiana instituisse Doctrina.

§. 8.

Adhæc volumus eosdem Parochos iisdem diebus Festis sacra operantes, præcipua misteria, atque omnes Actus Fidei, Spei, Caritatis, & supernaturalis doloris brevem in modum concinnatos una cum iis, qui adsunt, clara voce proferre.

§. 9.

Quoniam eo devenit temporum iniquitas, & deperdita morum consuetudo, ut parentes ipsi, quibus filiorum institutio in primis cordi esse debet, eam omnino posthabeant aliis longe levioribus hujus vitæ negotiis insudantes; ideo Parochi eos vehementer excitent, summa Charitate adhortati, ne ipsorum negligentia, pro qua summas æterno Judici dabunt pænas, ea ignorent, quæ ad salutem scitu maxime sunt necessaria.

§. 10.

Quænam, quot, & quanta mala ex hac posthabita puerorum institutione in Christianam Religionem, & civilem societatem solent dimanare, secum corde suo revolvens sapientissimus, & piissimus Rex noster FERDINANDUS, (quem Deus semper sospitet, & fortunet) pluribus & gravissimis Edictis ubique iis, quorum interest, ipsam imposuit adhibendam, ut præsertim ex illo constat die 26. mensis Julii anni 1794. §. IX., ex alio die 6. Februarii anni 1796., alioque denique die 8. Martii anni 1800. publice lato.

§. 11.

Hac quippe de caussa Divinus Servator noster, ex Divi Augustini explicatione (a), ut immensi, quo in hominum genus flagrabat amore, specimen aliquod haud dubium daret, cuncta loca perlustrans nihil majore studio inquisivit, nisi populum rudem, & ignarum sibi erudiendum, cujus æternæ salutis perstudiosus, haud est facile dictu, qua sermonis facilitate illius captui sese leniter accomodans alloqueretur, ut legis præcepta enuclearet, & quod adhuc illi visum erat impervium, non modo ad credendum, sed & hilari animo ad peragendum inflecteret.

§. 12.

Hujusmodi Nos præclarissimo compulsi exemplo, ut tantæ erudiendi Populi consulamus necessitati, præsertim illius vi-

(a) *Lib. de Cathechiz. Rud. Cap. X.*

vitam in agris, & sylvis degentis, ubi omnium legum, & Christianæ Religionis Mysteriorum omnium majores suas offundit ignorantia tenebras, quam maxima animi nostri contentione præcipimus, ut singulis utriusque servandi Præcepti diebus Sacerdotes inter missarum solemnia eam instituant Cathechesim, qua nulla umquam de caussa intermissa, tandem edoctus christianus populus illuc conveniens, quæ necessitate medii, quæque præcepti sunt credenda, addiscat, & perbelle calleat.

§. 13.

Et quia experientia compertum est, nihil magis hujusmodi tradendæ doctrinæ officere posse, quam Cathachesium varietatem, unde rudium mentibus oboritur confusio, & alium, aliumque docendi modum, quo facile irrepunt errores; nobis prorsus lubet, ut, nulla alia inita ratione, tradantur doctrinæ Christianæ rudimenta, nisi illa quæ in Libello exarato ab Eminentissimo Cardinali Spinellio Patruo magno nostro meritissimo in id opus commodum edito describitur. Detrectantes vero hanc legem pro modo culpæ, aut doli, & quatenus opus, etiam suspensione a Divinis punientur juris ordine ferenda.

§. 14.

Nemini porro sive vir, sive sit mulier, quem ob sui generis fortunam non dedecet, si christianæ doctrinæ ad istitutionem convenire noluerit, ad sacras Eucharisticas epulas, cum eas primum petierit, liceat accedere; neque ulli a nobis confirmationis Sacramentum administrabitur, vel donabitur venia, ut rite possit sancti connubii fœdus inire, ni-

nisi fideli Parochi testimonio plane constet, unumquemque eorum Christianam didicisse doctrinam.

§. 15.

Quod idem ne Parochi alienis precibus indulgentes, aut cujusvis gratia compulsi, nisi veritatis ergo, testentur, magnopere hortamur: innuptæ etiam puellæ ex Regiis sanctionibus in edicto contentis die 6. Februarii anni 1796., nullo umquam dotis subsidio (vulgo Monte) perfruentur.

C A P. III.

De Verbi Dei Prædicatione.

§. 1.

Pontifex Æternus, veritatisque magister eum ad propagandam Catholicæ Ecclesiæ Fidem, quam sanguine suo, defixo veluti immotoque fundamine posuerat; Apostolos mittens inquit: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; quippe videtur hujusmodi præclarissimum munus peculiari jure Apostolis detulisse, & tamquam proprium ipsis dicasse. Qua de re illorum Princeps huc alludens merito dixit (*a*): *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis*, & Paullus (*b*): *Non misit me Deus baptizare, sed evangelizare.*

§. 2.

(a) *Act. VI.*
(b) *Ad Corinth. I.*

§. 2.

Et quoniam in vera Christi Ecclesia Apostolorum successores sunt Episcopi ; hinc Evangelii prædicationem Tridentini Patres (a) voluerunt unos ad Episcopos præcipue pertinere.

§. 3.

Cum autem ipsi nec ubique, nec semper possint eam sponte sua perficere, sacerdotum prorsus est id onus subire : ipsos enim alloquens antequam manus imponat episcopus inquit. *Sacerdotem siquidem oportet præesse, & prædicare.*

§. 4.

Quibus autem majore id congruit jure, certe quidem Parochi sunt in partem ministerii ipsis Episcopis suffecti: his igitur Apostolicum hoc munus plurimi ducendum est, atque ut illud eo, quo decet modo, alacres exequantur, illud sibi proponant, quod assidue ipse respexit Christus Dominus. Divinas veritates hominibus prædicaturus, cum inquit (b): *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

§. 5.

Ipse Christus Synagogam ingressus has veritates Nazarenos edocendi caussa, ut in eorum corde altius imprimeretur evan-

(a) *Seff. V. Cap. II. de Refor.*
(b) *Joan. X.*

evangelizatio a Prophetæ verbis, Ita suum auspicatus est exordium (a): *Spiritus Domini super me.*

§. 6.

Quanta igitur morum integritate splendescere, quantum boni operis odorem debet parochus effundere, ut revera videatur Spiritus Domini animam ejus invasisse? Quod si secus contigerit, merito timendum erit, ne ipsi evangelizanti belle congruat, quod Nepotiano olim scripsit Hieronymus (b): *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hæc, quæ dicis ipse non facis?*

§. 7.

Qua propter Concionator in primis debet ab omni saltem lethali peccato vi pænitentiæ Sacramenti sese purgare, ne exprobretur a Deo (c): *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum;* deinde si minus eximia, at certe sit ea doctrina præditus, quæ huic oneri ferendo satis esse possit, juxta effatum Ormisdæ Pontificis: (d) *discere debet, antequam doceat.*

C §. 8.

(a) *Luc, IV.*
(b) *Epist. II. ad Nep.*
(c) *Psal.* 49.
(d) *Epist. IV. ad Episc. Hisp.*

§. 8.

Quod si evangelizandum est hac una de causa, ut Fideles vitam habeant, & abundantius habeant; eo omnes concionatoris vires intendantur, ut iniqui a peccati morte resurgant, justi spirituali vitæ vacantes magis, magisque virtutibus non nihil in dies vel quid maximum proficiant: quo circa qui concionem habet, oratum volumus, ut sua non quærat, vana, atque incerta non proponat, verborum flosculos devitet; concionator enim Christianus *Christum Crucifixum debet prædicare*, *& sectari non lenocinia verborum, sed veritates Piscatorum* (a).

§. 9.

Verum ipse juxta scripturæ, Conciliorum, & PP. Doctrinam facili, & aperto sermone fidei, & Christianæ justitiæ Dogmata, & præcepta debet perstringere, eadem ipsa validis invictisque argumentis adversus incredulos propugnans; vitia insectari, virtutes laudibus extollere, quæ officia Deo, sibi, & proximo, jure naturali, & positivo, quisque tenetur præstare, luculentius expendere; neque silentio præterire, quam devincto animo supremo legitimo Principi sit parendum: ipse namque omnipotens Rex Regum, Regnorumque Dispensator providentissimus plane locutus est (b): *Per me Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam*,

§. 10.

(a) *Ad Thimot. II. Cap. IV.*
(b) *Parat. Salom. Cap. 8. 9.*

§. 10.

Nemo tandem, parochis exceptis in sua paræcia, dum Cathechesi, aut Sacrosanti Evangelii explanationi dant operam, Concionem quamcumque audeat habere, nisi prius ejus oratione nostram ad trutinam revocata, si ita videbitur, & obtenta nostra, vel Vicarii nostri Generalis Venia literis tradita.

§. 11.

Regulares vero in Ecclesiis suis concionaturi Nos adire ne dubitent, ut eamdem veniam, & Benedictionem possint adsequi; cum qui quavis ex caussa id detractaverint, canonicis pœnis, servato juris ordine ferendis, omnino simus in eos animadversuri.

C A P. IV.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

§. 1.

Ecclesiæ nomenclatura quamquam alia; atque alia significet, heic tamen illum innuit locum, quo confluunt Fideles ad religionis actus publice exercendos, ad doctrinam christianam addiscendam, ad sacramenta suscipienda, quo sensu apposite de ea scriptum est (a): *Domus mea, Domus orationis est.*

(a) *Luc.* 19. *v.* 46.

§. 2.

Omnes, qui sola sub natura duce de rebus Divinis recte judicant, apertissime fatentur, Deum non modo interna, sed externa etiam Religione afficiendum esse: quippe ratione dictante cum hæc publice sit exhibenda, ut dignitate quam maxima perficiatur, certa loca, & tempora præfixa in id potissimum statuenda censuerunt. Qua igitur majore cura, & industria in hoc opus incumbamus, qui Divinæ revelationis lumine perfusi Deum verum unum, & trinum colimus, ut ejus immensæ Majestati præstantissimum in modum, quo ad ejus fieri potest, debitus honor extrinsecus quoque comparetur?

§. 3.

Heic abs re non erit, hoc ipsum brevi perpendere, ut quisque facile pernoscat, qua animi pietate, & quanta modestia ingredi oporteat Ecclesiam Dei viventis. Quicquid enim in ipsa peragitur, & nostris occurrit oculis, sanctum est, & ita Mysteriorum plenum, ut dum animum quadam percellit admiratione, peraccuratam excitet, atque efflagitet diligentiam.

§. 4.

Hæc enim Christiana templa quippe illa sunt, ubi longe secus, atque apud Hebræos, non per justitiam carnis, sed per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti ita renascimur, ut filii Dei nominemur, & simus (a).

§. 5.

(a) *Joan. III.*

§. 5.

Hæc eadem sunt illa ubi, non ut in veteri lege, vitulorum, & hircorum sanguine perfundimur, sed Christi sanguine mundamur, qui seipse Deo Patri obtulit immaculatum ad emundandas conscientias nostras ab operibus mortuis (*a*). Si nihil igitur ipsis sanctius, cum vivens Deus in ipsis immensæ suæ misericordiæ singulare solium posuerit, quid nobis magis timendum, quam ne sanctitas hæc actibus non congruis violetur, aut non puris polluatur cogitationibus.

§. 6.

Ut igitur debitus Ecclesiæ concilietur honor (quod nimio bonorum omnium mærore corruptissima hac tempestate desideratur) haud quaquam desistant Parochi auribus Fidelium ingerere, quo humili incessu debeat quisque aulam Dei ingredi, abstinens a vanis profanisque colloquiis, sed demisso capite peccatorum veniam deprecabundus, ita ut externa corporis compositio internam animi præseferat sanctimoniam.

§. 7.

Mulieres huc velato capite ingrediantur, ne aliis animæ periculum creent, prout præcepit Apostolus (*b*). Pompas devitent, vanosque ornatus, ut ex ipsis vestibus morum arguatur honestas. Nihil enim adeo vehementer ad iram concitat cle-

(a) *Hebr. 9. 13. 14.*
(b) *Ad Corinth. II.*

clementissimum Deum, quam cum insolentes Fideles, nulla Ecclesiarum habita ratione, eas tamquam theatra, vel publicos ludos frequentant; ita ut non immerito dici queat: *mala, quæ undique nos premunt, vultio Domini est, vultio templi sui*.

§. 8.

Impietas hæc animum Regis nostri ita permovit, ut ad tam nefandum scelus prorsus eliminandum suo Diplomate die 15. Settembris anni 1802. edixerit, ne qua mulier indecoro ornatu Christianæ modestiæ prorsus adverso ecclesiam adeat, & quæ procax id ausa fuerit, per Superiores vehementer moneatur: si vero procacior noluerit parere, continuò ad Regem ipsum facinus referatur. Nihil certe hujusmodi Regia sanctione religiosius excogitari potest, quippe quæ Apostoli monitis, & Ecclesiæ Spiritui maxime congruit; quare, ut accurate observetur, sæpe numero urgeant Parochi omnes aliique ecclesiarum rectores.

§. 9.

Cum autem moribus invectum sit, ut incolentium dignitatem domorum sequatur amplitudo; quanta illa ecclesiarum debet esse, in quibus non aliqua sub figurarum umbra, sed in propria residet æterni Verbi divinitas; in quibus non exemplaria cœlestium, sed ipsa cœlestia melioribus hostiis peraguntur (a).

§. 10.

(a) *Hebr.* 9. 23.

§. 10.

Omnia itaque in Sacris Ædibus tanto sunt comparanda studio, ut undique nitore, & vel maxima emicent munditie: pavimentum sæpe iterumque verratur, parietes albario opere perpoliantur; atque eo studiosius, quo Divinis Mysteriis peragendis usui solent esse, pro temporum varietate accurentur. Qui tantæ rei suo ex munere debet prospicere, si umquam negligentiæ insimuletur, facile pænas pro modo culpæ ex Canonicis sanctionibus servato juris ordine ferendas subibit, nobis ecclesias nostræ jurisdictioni subjectas invisentibus, exceptis illis, quæ vel Regii Patronatus fuerunt donatæ, vel Regis nostri in fidem sunt receptæ.

C A P. V.

De Sacrificio Missæ.

§. 1.

Etsi non levis momenti sint rationes hactenus in medium allatæ, ut debita veneratione sacrosanctæ colantur Ecclesiæ; alia tamen, quam heic atteximus, certe in id gravissima est percensenda, quippe quod in illis novi testamenti sacrificium celebratur.

§. 2.

Sacrificium, inquam, in quo omnium veteris legis, quibus significabatur, hostiarum differentiæ unica corporis & sanguinis Christi Domini oblatione implentur; sacrificium inquam, quod cunctorum Dei mirabilium memoriam complectitur,

tur , sive supremam , atque infinitam primi , & Principalis offerentis dignitatem meditemur , sive hostiæ , quæ offertur , incredibilem inspiciamus excellentiam , virtutem inexhaustam, atque effectus , & fructus haud quaquam menti nostræ pro merito æstimandos ; quod Sacrificium illud credendum est , quo nihil in terris umquam gestum est majus , nihil in Ecclesiis sanctius , & divinius excogitari , nihil hominum generi præstantius , atque utilius potuit obtingere ; hostiæ enim in illo incruentis Sacerdotis manibus mactandæ virtute summus Deo Patri redditur honos , & gloria , & cum eo fas est nobis in gratiam redire , & justitiam adipisci .

§. 3.

Quæ omnia ingenii sui acumine adsecutus Divus Chrisostomus (a) , *ut Ecclesiæ , & multo magis augustissimo Altaris Mysterio debitam venerationem animo ingereret Fidelium , non tamquam in terris degentes repræsentat , dum Sacro altari adstant , ibique Dominum immolatum , Sacerdotem Sacrificio incumbentem conspiciunt , sed potius e vestigio in Cœlos translatos , omnem carnis cogitationem abjicientes , nudo animo , pura mente circumspicientes , quæ in Cœlo sunt* .

§. 4.

Si autem hujusmodi sapientissimus Pater , & Doctor tantum mentis studium , & tantam pectoris pietatem ab illis exposcit , qui Sacrosancto altaris Sacrificio solum præsentes adsunt , ut si ipsi essent e terris in Cœlum evecti ; quo vehemen-

(a) *Lib. III. de Sacrif. Cap. IV.*

mentiore spiritus impetu, atque accuratiore diligentia perinsigni cum castitate conjuncta debet esse, qui sacris faciundis ipsius Christi personam gerit, illud ipsum sacrificium offerens Deo, quod in ara Crucis Christus ipse semel obtulit sola offerendi ratione diversa?

§. 5.

Nonne idcirco convenit quammaxime, ajebat S. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus, ut qui Christi personam gerunt, Christum ipsum induant? Quid? *Nonne* (Chrisostomus inquit.) (*a*) *accedentem ad Altare Sacerdotem luminis instar orbem illustrantis, animam splendescentem habere oportet, sicque purum esse, ac si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret?*

§. 6.

Quæ cum ita sese habeant, iterum, atque iterum omnes in Domino obtestamur Sacerdotes, ut numquam illotis manibus augustissimum hoc pertractent opus, neque ad altare illotis pedibus audeant accedere, nisi prius seipsi coram Deo probarint, atque intrinsecus animam suam ab omni non modo lethali, sed levi etiam, quoad fieri potest, labe purgatam deprehenderint; ne de sacrificio pœnam, de propitiatione peccatum sibi sumant, ut & ipse Divus Hieronymus scripsit (*b*).

§. 7.

(a) *Cit. lib. VI. de sac. Cap. IV.*
(b) *Epist. ad Rustic.*

§. 7.

Et quoniam quotidiana Missæ celebratio Christi Domini institutioni, & Ecclesiæ menti longe consona est, maximopere optamus ut Sacerdotes quotidie Sacro operentur; verum ad id eos impellimus, qui vitam recte agunt, ut tanto perficiendo muneri sint pares; qua de re Sacrosancti Concilii Tridentini decretis annuentes, aperte præcipimus, ut omnes Sacerdotes cujusque dignitatis saltem dominicis diebus, & Festis solemnioribus missam haud detractent celebrare; & qui curam sibi animarum susceperunt, si nullo sint impedimento irretiti, numquam in dies sacrum peragendum omittant.

§. 8.

Si igitur ex rebus hucusque perstrictis colligitur, ad hoc ipsum sacrificium rite, recteque peragendum summam afferendam esse sanctitatem; omnino fas est, ut quilibet Sacerdos celebraturus in tanti Mysterii amplitudine perpendenda sit penitus defixus, & suam agnoscens miseriam tanto munere se prorsus fateatur indignum: sacris inde vestibus indutus eo gravi ad altare procedat incessu, quo rem sanctam sancte peractum ire videatur.

§. 9.

Præterea ubique nostræ Diœcesis volumus, ut celebrantibus ritus omnes, & cæremoniæ in Rituali præscriptæ, quas immutare nefas est, omnino adhibeantur, & ut missa ex Divini Officii celebretur ordine, qui nobis studiose curantibus quotannis Typis dabitur, ut Liturgiæ servetur uniformitas adeo

a sa-

a sacris scriptoribus commendata ; quæ clara voce sunt legenda , ita proferantur , ut, qui adsunt, intelligant , & ad pietatem excitentur . Quæ vero sunt agenda, modestia, & gravitate perficiantur nullo indecoro capitis, oris, & reliqui corporis motu , qui cum in omnibus rebus, tum in hac maxime turpis est, & deridendus : nemo denique sacrum faciens erit nimium præceps , & festinus , aut æquo tardior , sed omnia accurata quam maxime gerantur diligentia (a).

§. 10.

Ex Sacerdotibus porro nulli uni liceat in ecclesiis etiam regularium hujusce Civitatis, & Diœceseos missam celebrare, nisi qui talari veste indutus ecclesiam sit ingressus: quo jure etiam obstringuntur qui alienæ Diœcesis in Civitate , & extra ex nostra, vel Vicarii nostri Generalis, aut Vicarii Foranei , sive ecclesiæ rectoris prius obtenta licentia sacrum perficiendum ineunt. Qui omnes si secus ac jussi sunt , fecerint, pœnas nobis dabunt juxta Canonicas , & Regias Sanctiones ser. ser. infligendas .

§. 11.

Notatu dignissimum est, quod Tridentina Synodo maxime prohibetur (b) ne lucrandi ergo missam celebrent Sacerdotes, dum stipem vitæ tantum alendæ causa liceat accipere, nulla apposita conditione, quæ si minus simoniacam labem, turpem certe quæstum redolet , ut verbis utamur Concilii : Hinc

(a) *Bened. XIV. de Sacrif. Missæ Lib. III. XIV.*
(b) *Sess. XXII. in Dec. de observ. & evit : in celeb. miss.*

Hinc in promptu est pernoscere, quam turpe sit, & quanto sacerdotalem ordinem afficiat dedecore, nonnullos sacerdotes, ut sibi maiorem pariant quæstum, missas tamquam aucupaturos, pagos, & villas circumire.

§. 12.

Cum autem plurimi intersit, ut nuper dictum est, populum christianum audire verbum Dei, præcipimus, ut festis diebus nec ante, nec dum Parochialis peragitur, ulla alia celebretur missa; illa enim conventualis a Fidelium conventu nuncupata ad audiendum non modo Sacrum, sed ad excipiendam quoque Evangelii explanationem a proprio est celebranda Pastore, quippe qui suas agnoscit oves, & belle intelligit, quæ vitia potissimum oporteat insectari, in quæ acrius animadvertere, quæ animarum saluti opportuniora sint remedia suppeditanda. In aliis vero ecclesiis ipsarum rectores curent statis, & certis horis missas deinde celebrandas, ut ita Fidelibus opportuna fiat copia audiendi Sacri. Quæ omnia sub pœnis juris ordine servato ferendis exequutioni mandanda jubemus.

C A P. VI.

De recta Sacramentorum administratione.

§. 1.

PRopositum heic nobis non est, ea evolvere, quæ Sacramentorum naturam spectant, de qua Dogmaticæ, & moralis Theologiæ institutiones, quarum extant quamplurimæ, sunt con-

consulendæ, sed potius pro recta illorum administratione nonnulla notatu digna brevi expendere.

§. 2.

Illud itaque nobis inquirentibus primum occurrit, quod cum ex Tridentina Synodo (a) *Ecclesiæ Sacramenta ea sint, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*; qua propter invisibilis gratiæ, visibilia signa ex communi Theologorum Sententia, duce Augustino, nuncupantur; non modo quid honoris, & dignitatis Catholicæ Ecclesiæ sacerdotibus accedat, quibus data est supernaturalis potestas dona illa cœlestia impertiendi, verum etiam quanta idcirco diligentia, & sollicitudo sit opus ipsis; ut digne possint hujusmodi munere fungi: Ad rem apposite scripsit Apostolus (b). *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*.

§. 3.

Ecquis igitur hic non colligit eximiam morum integritatem necesse esse sacerdotibus conficientibus, vel Sacramenta conferentibus, ut fidelis Mysteriorum Dei dispensatoris amplissimo quis nomine dignus inveniatur?

§. 4.

Et quoniam invisibilis gratiæ visibilia signa sunt Sacramenta, ita ut quod intrinsecus in anima mirifice perficiunt, id

D

(a) *Sess. VII. in Proœm.*
(b) *I. Ad Corinth. IV.*

id suis signis extrinsecus innuant, operæ prætium est, ut Minister fidelis, diligens, & prudens de tam religioso arcano apud populum sermonem accuratum instituat, quo fideles instructiores, paratioresque ad ea rite suscipienda accedant; atque uberiorem inde capiant gratiam; & sacerdos ipse dum illa vel conficit, sive administrat, secum semper corde revolvat Apostoli Verba (*a*); *Vide ministerium, quod accepisti, ut illud compleas*.

§. 5.

Conficiendis autem, & ministrandis sacramentis Ecclesiæ ministri pro viribus operam sedulam navantes, omnino materiam ipsam, & formam a Christo institutam, nec non cæremonias omnes, & ritus ab Ecclesia præscriptos adhibeant, ne merito insimulentur impietatis, cum scripserit Augustinus (*b*): *Nec nisi impie contemnitur id, sine quo pietas ipsa perfici nequit*; neque in illud incidant Anathema, quo Tridentinum Concilium (*c*) acerrime perstrinxit, qui temere asserit receptos, atque adprobatos Ecclesiæ ritus in Sacramentorum administratione aut contemni, aut sine peccato omitti, vel in alios posse mutari per quemcumque ecclesiarum pastorem.

§. 6.

Hujusmodi Sacramentorum administrationis tantum in Ecclesia, præter necessitatem, peragendæ, ubivis & quando opus

(a) *I. Ad Colos. IV.*
(b) *Lib. XIX. contra Faust. Cap. II.*
(c) *Sess. VII. Cap. 13.*

opus est, haud quaquam pigeat Ecclesiæ ministros, & præsertim parochos, atque adeo accitos alacri, & lubenti animo petenti populo præsto esse, nulla quidem alia de causa, ne Simoniæ, vel certæ avaritiæ turpis suboriatur suspicio, sed solum illius æternæ salutis ergo, quam, spretis omnibus humanis rebus, debent omnino præferre: nam quod gratis est acceptum, gratis distribui debet.

C A P. VII.

De Baptismo.

§. 1.

ET si omnia, quæ cujusque Sacramenti ad administrationem pertinent, in Cathechismo, & Rituali Romano luculentissime, & satis admodum scite sint pertractata; attamen heic abs re non est nonnulla breviter animadvertere.

§. 2.

Quanta sit hujus Sacramenti necessitas, neminem Fidelium certe latet, Christo ipso dictante (a). *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* In primis itaque curent Parochi, ne ultra biduum infantibus differatur Baptismus, ac proinde moneant parentes de discrimine, in quo versantur nati, si sine baptismo decedant. Qua de re si id Parochi culpa, aut negligentia contigerit, ipse suspensione ab animarum cura per annum plectetur juris ordine ferenda.

D 2 §. 3.

(a) *Joann. III. v. 5.*

§. 3.

Baptismus vero nulli umquam cujuscumque fortunæ domi conferatur, neque in ecclesiis, ubi fons baptismalis non extat sine nostra, vel nostri Vicarii Generalis expressa licentia: quod tamen, necessitate efflagitante, minime volumus ita accipiendum: tum enim & domi, & ubicumque id acciderit, & a quovis, Sacerdotibus non præsentibus, servato tamen dignitatis ordine, non modo non prohibemus, sed ut continuo administretur, maximopere hortamur, parentibus ipsis haud intercludentes, quominus, omni alio deficiente, huic muneri præsto sint omni dubio soluti, quin hic cognationem spiritualem contrahant.

§. 4.

Ubi autem id discriminis evaserit infans, diligenter investiget parochus de collati baptismi validitate, qua probata, & perspecta, præteritis tantum cœremoniis, deinde in Ecclesia quamprimum faciat satis; sin autem probabilis superfuerit dubitandi ratio, iterum sub conditione baptismum administret.

§. 5.

Quod ad expositos infantes attinet, & si schedulam suscepti baptismi ipsis suspensam deprehenderint Parochi, iterum ne dubitent sub conditione eos baptizare, atque eos eodem illo donent nomine in schedula inscripto, dum id ethnicum, & profanum non fuerit, quod a Christianis auribus longissime abhorret.

§. 6.

§. 6.

Extra Casum necessitatis adsit semper Patrinus, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una, uti ex Tridentino, quos Parochus, tum de cognatione spirituali debet monere, cum de onere sibi imposito edocendi susceptum primâ Fidei rudimenta, & cætera ad salutem necessaria, cum debeant in via salutis illi facem præferre.

§. 7.

Ab hujusmodi munere arceantur, qui non adhuc sunt confirmati, publice excommunicati, atque Interdicti, in quem numerum conjiciendi sunt regulares utriusque sexus, omnes Clerici sœculares, nisi iis per nos id non licitum fuerit.

§. 8.

Nitore, & studiosa elegantia, quo ad ejus fieri potest, enitescant Fons ipse baptismalis, Vascula omnia, quæ huic Sacramento rite administrando sunt necessaria. Quilibet parochus librum sibi conficiat, in quo nomina baptizatorum, parentum, & patrinorum una cum die, mense, & anno collati baptismi accurate adnotentur. Qui liber sua ipsius Parochi manu subscriptus penes se sit semper, neque aliis, nisi se inspiciente, tradatur legendus, ne corrumpatur. Quæ omnia diligentissime perquirentur a Nobis in Sancta præsertim visitatione.

C A P. VIII.

De Confirmatione.

§. 1.

PRæclare Melchiades Pontifex maximus scripsit (a) nos in Baptismo regenerari ad vitam, post baptismum confirmari ad pugnam. Et quoniam hic est præcipuus confirmationis effectus, plebem sibi creditam haud Parochi negligant sæpe numero edocere de hujus Sacramenti virtute, & utilitate, ut Fideles edocti neque hoc Sacramentum nimium sero suscipiant, aut omnino negligant: si quidem perfectus Christianus nequit is dici, qui sponte sua hoc Sacramentum prætermisit.

§. 2.

Cum autem illius mirificus effectus haud queat ab iis percipi, qui non dum ratione pollent; quippe quia ad pugnam pro Christi Fide non adhuc censentur apti; hinc ex Cathechismo Romano docemur illos removere, qui septennio sunt minores, aut fidei rudimentis non satis admodum sunt imbuti; qui vero sunt majores natu, animo prorsus contrito, & vi Pœnitentiæ ab omni lethali labe purgato, ad illud suscipiendum accedant.

§. 3.

Quod ad patrinos spectat, illud, quod supra diximus de Baptismo loquentes, huc conjiciendum est, hoc uno invecto di-

(a) *In Can. Spirt. Sanct. de consec. dist. V.*

discrimine, quod alter tantum, aut altera ejusdem sexus, honestatis causa; confirmatus; ætate saltem quatuordecim annorum, & confirmando major, ut ei possit opitulari in perdiscendis rebus Fidei apprime necessariis.

§. 4.

Hæc omnia diligenter ante perscrutentur Parochi, quam alicui tabellam tradant nobis offerendam, in qua luculenter legantur confirmandi nomen, ætas, parentes, patria, patrinus; & confecto confirmatorum ad posteritatis memoriam libro etiam ipsi adjiciant nomen Episcopi confirmantis, diem, mensem, annum, & locum. Qui Parochi id noluerint efficere, pœnas luent ex canonicis sanctionibus hujus regni legibus non adversis.

C A P. IX.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

§. 1

NIhil omnino in Ecclesia Catholicà dignius Eucharistia potest inveniri, utpote quæ ipsum Sacramentorum omnium Auctorem mirum in modum in se continet. Sacramentum, in in quo ex Concilii Tridentini doctrina (a). *Christus Dominus divitias sui erga homines amoris effudit, memoriam faciens suorum mirabilium.* Sacramentum, Apostolo Paulo annuente, ex quo digne, aut indigne suscepto vita, vel mors, salus, aut æterna Fidelium damnatio pendet.

§. 2.

(a) *Sess. XIII. Cap. II.*

§. 2.

Cum hujusmodi Sacramento nihil fas sit ne excogitari quidem præstantius, tabernaculum certe, ubi existit quam affabre splendidum, quam intrinsecus, atque extrinsecus, prout ferunt cujusque Ecclesiæ opes, decenter exornatum esse oportet, atque adeo in id Christiani debent majorem operam impendere, cum præ nobis nulla sit natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.

§. 3.

Qua de re optimo jure factum videtur, ut Tabernaculum id sit extrinsecus firmum, & ex materia quammaxime pretiosa, intrinsecus oloserico circumvestitum, & clavis ejus argentea; Omnia Sacra Vasa, quæ hujusmodi Eucharistiæ usui sunt, argentea, aurea, vel saltem sint inaurata, atque ipsi in Altari dicato diù noctuque unum saltem lumen semper emicet accensum.

§. 4.

Quæ omnia cum ita sint, & religiones apud omnes gentes non tam splendide, quam pie colantur, sacerdotes, & præsertim Parochi satis admodum intelligunt, quo studio sibi instituendus sit populus christianus, ut ad sacram mensam, ad hanc sumendam Eucharistiam, quam maximam fidem, humilitatem, modestiam, charitatem, & potissimum animæ puritatem afferrat, ne sibi judicium manducet. Quas quidem virtutes exterior quidam apparatus ita debet comitari, ut oculis incurrentium plane innotescat, quo animo sit quisque affectus tanti Mysterii percitus veneratione,

§. 5.

§. 5.

Frequens Eucharistiæ usus est summopere commendandus: at cum, ut Chrysostomus inquit: *Communionis tempus, non est festum, atque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis expurgata;* Sacerdotibus a confessionibus prudentibus mandamus, ut sicuti videbitur animarum saluti præstare, sæpius, aut rarius, ad sacras immaculati Agni dapes adhortentur, & sollicitent.

§. *6.*

Quod ad quotidianam communionem attinet, animarum Rectores ob oculos sibi ponant Sacræ Congregationis Concilii Decretum ex mandato Pp. Innoc. XI. die 12. Februarii *1679.* in lucem editum. Maximo hic flagramus desiderio, ut adolescentes, & pueri, non ante ad primam sacram communionem accedant, quam rudimenta fidei, ac tantam hujus Sacramenti dignitatem edocti parochis probentur; qui præcipuam etiam debent operam dare, ut Fideles sibi crediti saltem solemnibus diebus festis Angelico hoc vescantur pane, & omnes, nulla interposita mora, præceptum annuæ Communionis adimpleant, cui si obstinato animo non audientes erunt, nulla habita cujusque viri, vel mulieris ratione, nos faciant certiores, ut in eos juris ordine servato, nempe triplici jam ante peracta monitione, pœnæ canonicæ possint infligi, ut ex Regio diplomate 13. Julii anni *1776.*, quod etiam utique perficiendum imponitur ex alio de die 20. Martii anni *1793.*.

§. 7.

Cum vero ægroti Sanctissima Eucharistia, reficiendi sint magnopere studeant Parochi, ut id ampliore, quo possit, fiat, modo, & præmisso propriæ Ecclesiæ æris sonitu fideles quamplurimos præciant, ut hoc Sacramentum pio comitentur animo, & maximo prosequantur honore, nobis in id opus qualibet vice elargientibus quadraginta dies de vera Indulgentia.

§. 8.

Nemo umquam poterit, quin summis extollat laudibus Sanctissimam Eucharistiam publicæ Fidelium venerationi morem exponendi: at ne ex hujusmodi frequentiore usu tanti Sacramenti majestas sensim debito decidat onore, prudentissime edixit Benedictus XIV. immort. mem. (a), nullibi licere illam publice colendam exponere, nisi publicam ob caussam Episcopo perspectam & probatam.

§. 9.

Quapropter in qualibet Ecclesia etiam regularium quomodolibet exempta id nemo audeat, nisi prius expresse hoc ipsum per nos licitum fuerit; ad hæc præcipientes, ut, quando id nobis visum erit, majore præter consuetudinem exornetur Altare apparatu, amotis omnino cœteris Sacris Reliquiis, & Sanctorum simulacris, ut uni Deo omnis sit cultus, & honor. Haud tamen idcirco privatam sacræ pyxidis expositionem prohibemus; quin imo nostris pro viribus eam parochis

(a) *Dec. ad Epis. Warniens.*

chis cunctis commendamus, pro certo habentes, plurimum valere Divinam ad placandam justitiam, ad avertenda, quæ nobis pro sceleribus imminent mala, atque ad ea, quorum quotidie maxime egemus, bona impetranda.

C A P. X.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. 1.

INfinitæ misericordiæ suæ in nos divitias large effudit clementissimus Redemptor noster Christus Jesus Sacramento Pœnitentiæ instituto. Cum enim prævideret, homines, etsi per Baptismum, qui prima tabula post naufragium nuncupatur, in pristinam restitutos innocentiam, naturæ tamen imbecillitate per sæpe in alia lethalia prolapsuros peccata; ut ab his dein possent emergere, atque amissam denuo justitiam adipisci, alteram præstitit tabulam, pœnitentiæ nimirum sacramentum, cujus administrandi potestatem solis sacerdotibus detulit; ipsis enim dixit (a) *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

§. 2.

Cum autem, excepto mortis articulo, non cuivis sacerdoti liceat hujusmodi Sacramentum administrare, sed illi tantum, qui aut parochiam in titulum, aut a proprio Ordinario, prævio examine, hujus muneris Jurisdictionem fuerit adsecutus, ut

(a) *Joan. XX. 23.*

ut ex Tridentino (a), nemo ex sacerdotibus sive sæcularis, sive regularis illud sponte sua sibi ipse administret, nisi ejus sibi a nobis copia facta sub pœnis canonicis, & ex praxi hujus Regni ordine servato ferendis.

§. 3.

Qui autem hac auctus Jurisdictione confessionibus audiendis nititur vacare, quod maxime optamus, satagat id sibi susceptum onus majore, quo decet, studio, & sanctitate deferre, ut videatur omnino Patris, Doctoris, Judicis, & Medici optimam gerere personam: ita ut omnes ad se venientes, nulla personarum habita acceptione, quippe quod Christus Dominus pro omnibus mortuus est, paterno amplexus amore benigne excipiat, omnia quævis dubia, quibus eorum animus laborat, scite solvat, & prudenter explanet, pro culparum, quas fatentur, modo, discrimine, atq. immanitate pœnas imponat, & denique spirituales morbos perscrutatus accurate studeat, eam adhibere medicinam, qua non modo vulnera a peccatis inflicta omnino sanentur, & deleantur, sed deinceps ab ipsis, atque ab aliis vel gravioribus possint pœnitentes sibi cavere.

§. 4.

Cum autem summum jus, summa injuria sit; & rursus maxima facilitas crimina in terris adaugeat, atque impudentem peccandi licentiam foveat, sacerdotes omnes monemus, qui a confessionibus sunt, ut a nimia cum facilitate, tum ab-

(a) *Sess. XXIII. De Ref. Cap. XV.*

absolvendi severitate longe absint, sed ut magis animarum saluti videbitur prodesse, absolutionis beneficium modo impertiantur, modo differant, modo, sed semper summa prudentia, denegent.

§. 5.

Pœnitentibus, quominus alium adeant sacerdotem sibi ultro seligendum, cui liberius possint conscientiæ suæ latebras aperire, numquam impediant, atque adeo sæpius ad id adhortentur.

§. 6.

Sacerdotes porro a nobis in id probati, & qui jure suo possunt hoc munere fungi, solum pro sacro tribunali sedentes confessiones excipiant; quod quidem volumus, ut sit ferreis, ligneisque cratibus minutatim perforatis munitum, ac pro patulo positum. Quod extra cum mulieribus ne colloquantur in Ecclesia de rebus etiam spiritualibus, nisi justa intercesserit caussa, qua deficiente, ne illarum quidem petant domos, ubi nemini liceat hujusmodi Sacramentum administrare, exceptis sacerdotibus, atque iis qui vita periclitantur, cujus generis si fuerint mulieres, earum cubiculi ostium eo pateat modo, ut adspici possint, non audiri.

§. 7.

Heic autem magnopere præstat, nostros monere sacerdotes, ne quid umquam hujus exercendi muneris caussa etiam sponte oblatum accipiant, neque missarum eleemosinas ab ipsis impositas, ne turpis avaritiæ alicui quamvis invido in suspicionem veniant.

E §. 8.

§. 8.

Et, quamvis pia Mater Ecclesia suorum filiorum spiritualem vehementer ardens salutem, non modo annuæ confessionis præcepto, sed sæpissime ad confitendum aliis, aliisque ingeniosis allicit rationibus, atque impellit; nihilominus ab Ecclesiæ initio in more positum fuit, ut atrociorum quorumdam criminum cognitio, & iis congrua adscribenda pœnitentia unius Episcopi judicio vindicaretur, ut hæc antiqua quam maxime animarum saluti utilis vigeret incolumis disciplina; Tridentini Patres edixerunt nonulla, graviora peccata non ab omnibus sed a summis dumtaxat sacerdotibus remittenda.

§. 9.

Hinc jure merito factum est, ut quilibet Episcopus quorumdam criminum, quæ ad majorem animarum perniciem in suam irrepserant diœcesim, sibi tantum vindicarit absolutionem. Quæ igitur nobis summo jure volumus reservata, erunt in hac Synodo ita adnotata.

CASUS RESERVATI

Quibus est adnexa Excommunicatio ferendæ sententiæ.

1. VEneficia, sortilegia, magiæ, superstitionesque, cujuscumque generis, etiam sine Sacramentorum, aut sacramentalium, vel Reliquiarum abusu, & effectu non secuto.

2. Injuriæ, aut vulnera illata Sacris Immaginibus.

3. Percutientes quascumque personas Ecclesiasticas et Ca-

Cap. Trid. Si quis c., nec non violantes directe, vel indirecte libertatem, immunitatem, & iurisdictionem ecclesiasticam.

4. Furtum sacrilegum tam ratione rei, quam loci sacri; item sanguinis, vel seminis voluntaria effusio in Ecclesiis, & omnibus in locis sacris.

5. Publici usurarii, itemque stipulantes, aut mandantes stipulari, contractus expresse, vel tacite usurarios.

6. Falsificantes nostras, vel Curiæ nostræ literas cum damno alterius, nec non occupantes scripturas, vel boni ad Ecclesiam, vel loca pia pertinentia, vel privatas familias cum gravi istarum damno, vel non revelantes earum detentores.

7. Falsum testimonium in judicio deponentes, falsis testibus & scripturis abutentes, instrumenta, processus, aliasque falsas scripturas conficientes, vel falsificantes in damnum tertii.

8. Sine expressa licentia colloquentes cum monialibus, novitiis, educandis, aut conversis in monasteriis degentibus, nisi fuerint in primo, & secundo cansanguinitatis, & in primo tantum affinitatis gradu: loquentes vero de obscænis, aut de obscænis literas mittentes, vel scienter deferentes, etiamsi loquendi facultatem obtinuerint.

9. Sollicitantes ad turpia, vel complicem absolventes juxta Benedicti XIV. Constitutiones.

CASUS RESERVATI

Sine Excommunicatione.

1. DEum, Jesum Christum, B. Virginem, aut Sanctos ex prava consuetudine blasphemantes post tertiam vicem.

2. Homicidium voluntarium committentes, mandantes, & cooperantes, conficientes, vel propinantes venenum ad hominum perniciem, etiam effectu non sequuto. Procurantes sibi, vel aliis abortum, aut sterilitatem, etiamsi non sequatur effectus.

3. Stuprantes virginem, aut viduam vi, metu, vel ficta marrimonii promissione.

4. Incestum in primo, & secundo consanguinitatis gradu, affinitatis vero etiam spiritualis tantum in primo.

5. Sponsi, & Sponsæ post contracta sponsalia invicem cohabitantes, vel se carnaliter cognoscentes, eorumque parentes permittentes, vel non impedientes.

6. Concubinatus, Bestialitas, Sodomia activa, & passiva, etiam imperfecta cum quovis sexu.

7. Conjugati in eodem lecto cum filiis post quinquennium dormientes.

8. Costituentes ficta patrimonia, vel fiduciaria, omnesque ad id quovis modo cooperantes. Qui vero cum hujusmodi patrimonio erit ordinatus, aliis pœnis canonicis subjici sciat.

9. Vendentes, & ementes falsis ponderibus, & adulterinis mensuris, nec non monetas adulterantes, vel adulteratis scienter utentes.

10. Qui pia legata negligunt adimplere, aut redditus ecclesiasticos solvere.

11. Qui tempore Quadragesimæ, aliisque diebus prohibitis sine utriusque medici, ac superioris licentia vetitis cibis vescuntur, & qui falsam schedulam adhibent ad probandum, quod in Paschate communicaverint.

Nisi completo decimo quarto ætatis anno his casibus, & censuris non subjiciuntur adolescentes, neque mulieres contra sextum Decalogi præceptum peccantes.

Ab

rum. Ab iisdem ipsis nemo sive sæcularis sive regularis a confessionibus sacerdos audeat pœnitentes absolvere, nisi speciali nostra facultate præditus.

C A P. XL.

De Extrema Unctione.

§. 1.

SAcramentum hoc a Divo Jacobo Apostolo Fidelibus cunctis promulgatum, maximeque commendatum a S. Tridentina Synodo *totius Christianæ vitæ consummativum* appellatur. Hinc visum est nobis, brevi animadvertere, quæ diligentia sit adhibenda, ut ab infirmis digne suscipiatur, recteque a pastoribus administretur.

§. 2.

Pluribus in locis, ne ubique dicam, falsa, & perniciosa admodum increbuit opinio, Extremæ Unctionis Sacramentum proximam innuere mortem, & susceptum illius gradus quam maxime festinare. Hinc factum est, ut eo, nisi in extremo vitæ discrimine ægroti omnis pene sensus expertes minime donentur.

§. 3.

Qua de re maxime curandum est Pastoribus ut istam ab animis Fidelium penitus evellant sententiam, & illis ob oculos ponentes Spiritualia commoda, quibus hujus Sacramenti

ope nos prosequi voluit misericordia Dei, ad credendum inducant, hoc Sacramentum humano modo suscipiendum, & rite susceptum non solum nulli, vel minime esse vitæ detrimento, sed potius tanto ægrotis levamini, ut si æternæ eorum saluti præstiterit, e mortis etiam eripiat faucibus; sin secus, ea morientis animam virtute munire, ut ipse, facile summo cordis inito dolore remissis peccatis, si qua adhuc expianda supersint, detectis, & profligatis diaboli insidiis, æternam vitam, & cœlestem felicitatem omnino speret consecuturum.

§. 4.

Præsto sint semper igitur ægrotis parochi, ut primum accipiant, eos quoquo graviore morbo laborare, & cum pernoverint, aliquod imminere mortis periculum, minime immorentur, quin præ cæteris necessariis hoc muniant Sacramento: ex doctrina enim Cathechismi Romani (a) graviter peccant, si sua oscitatione retardetur.

§. 5.

Parochi ergo, adhibitis ritibus, & cœremoniis in Rituali præscriptis, eos qui illic adsunt, hortentur, ut ad Deum pro infirmo preces effundant; deinde sibi non inducant in animum, hac peracta administratione, prorsus munere suo defunctos esse, nisi diu noctuque quoad opus erit, ægroto periclitanti assiduam, & spiritualem omnem suppeditent opem ne animam illius, si forte perditum ierit, ab ipsis negligentibus summo jure repetat Judex Æternus, dum etiam in ter-

(a) *De Sac. Ext. Unct.* §. 15.

terris canonicas, nobis jubentibus, non poterunt pœnas Juris ordine ferendas declinare.

C A P. XII.

De Ordine.

§. 1.

AB Sacri Ordinis dignitate, & præstantia in medium afferenda heic supersedendum ducimus, quippe quæ quanta sit e scripturarum oraculis, conciliorum, & Patrum testimoniis perbelle, & luculentissime colligi potest.

§. 2.

De Ordine apposite edisserens Chrysostomus inquit (*a*): *Sacerdotium in terris quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem, ordinemque referendum est*. Divus Paulus vero sacerdotes Christi Domini adjutores pro ipso legatione fungentes Divinorum Mysteriorum dispensatores, Dei homines, Angelos denique nuncupat (*b*) Concilium Parisiense ex S. Prospero ait: *Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia .... Ipsi Janitores, quibus datæ sunt Claves Regni Cœlorum*.

§. 3.

(a) *Lib. III. De Sac. Cap. III.*
(b) *Ad Corinth. V.*

§. 3.

Quisquis igitur ad montem Dei, ad sacerdotium nempe ascendere cupit, hæc omnia iterum, atque iterum perpendat, ut illis congruat mens sua, voluntas, & finis, cum necesse sit, ut muneris dignitati respondeat ponderis momentum angelicis humeris etiam formidandum. Et cum in hac trutina sese tanto oneri pares esse deprehenderint, tunc alacri animo debitis exornati dotibus illud ad ferendum festinent: Nos enim ex Apostoli præcepto (a) nemini cito manus imponemus, nisi summa cura simus experti illorum indolem, mores, scientiam, & alia, atque alia a canonicis, & Regni legibus requisita, quorum series hic subtexitur.

REQUISITA NECESSARIA PROMOVENDIS AD ORDINES

Pro prima Clericali Tonsura.

Licentia vestem talarem induendi triennio ante concessa juxta Concordatum.

Fides Baptismi, ex qua constet de ætate XIV. annorum inceptorum, & quod non sit unicus.

Adtestatio Curiæ Localis, quod Initiandus non fuerit, neque sit Inquisitus.

Fides Parochi, quod non fuerit, neque sit Militiæ adscriptus.

Fides de talaris vestis gestatione, & triennali servitio in Divinis Ecclesiæ præstito, cui fuerit adscriptus.

Fides de legitimis Natalibus, Vita, moribus, Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentia saltem bis in mense.

Fi-

Fides de Doctrina Christiana pueris tradita, præsertim tempore Quadragesimæ, & frequenti associatione Sanctissimi Viatici.

Fides Studii; nec non frequentiæ Achademiæ Casuum moralium, & explanationis Sacræ Scripturæ, ubi tamen hujusmodi habentur lectiones.

Fides assiduitatis clericorum cogregationibus præstitæ, cum Salerni, Ebulitanæ terræ & Solophræ, cum alibi, ubi hujusmodi vigent congregationes.

Beneficium Ecclesiasticum, vel Patrimonium per publicum Instrumentum legitime constitutum cum peritorum adtestatione de ejus valore in proprietate, & annuo redditu a quolibet onere immuni, juxta taxam hujus diœcesis, & obligatione ipsius promovendi de non alienando.

Fides Affixionis, & Defixionis Edicti, & proclamationum.

Adtestatio duorum Sacerdotum, vel piorum virorum de legitimis natalibus, vita, & moribus Initiandi.

Fides de spiritualibus Exercitiis in loco a nobis designato peractis.

PRO MINORIBUS ORDINIBUS

Bulla primæ Tonsuræ, aut ejus Exemplar.

Fides perquisitionis.

Declaratoria.

Fides peritorum de patrimonii manutentione, ac pacifica fructuum perceptione.

Omnes aliæ Fides, ut supra: De vita: moribus: servitio in Divinis: studio: Sacramentorum frequentia: Doctrina Christiana tradita pueris: interventu Accademiæ Casuum Moralium

lium: explanationi S. Scripturæ, ac Clericorum Congregationibus: & Spritualibuis Exercitiis peractis.

PRO SACRO SUBDIACONATUS ORDINE

Bulla Acolythatus, aut ejus Exemplar.

Fides ætatis XXII. annorum inchoatorum.

Fides Perquisitionis, & Declaratoria.

Adtestatio Parochi de numero animarum, & Presbyterorum, aut Regalis permissio.

Fides quod Promovendus habeat Fratres laicos, nec cum ipso habitet alius Ecclesiasticus Consanguineus.

Jurata Promissio ordinandi de non alienando Patrimonio, de illius pacifica Possessione, & fructuum perceptione.

Omnes aliæ fides uti supra, de vita, moribus, Sacramentorum frequentia, ter saltem in mense, Studio, Doctrina Christiana pueris tradita, tempore præsertim Quadragesimæ, Adsistentia Accademiæ Casuum Moralium, Sacræ Scripturæ explanationi & Clericorum Congregationibus, de proclamationibus, affixione & defixione Edicti, Adtestationibus Sacerdotum aut piorum virorum, de spiritualibus Exercitiis peractis.

PRO DIACONATU.

Bulla Subdiaconatus, aut exemplar.

Fides ætatis annorum XXIII. incæptorum.

Fides Perquisitionis.

Fides de solemni Exercitio Ordinis Subdiaconatus.

Omnes aliæ Fides, uti supra in subdiaconatu.

PRO

PRO PRESBYTERATU

Bulla Diaconatus, aut ejus Exemplar.
Fides de ætate XXV. annorum inchoatorum.
Fides perquisitionis.
Fides de solemni Diaconatus Exercitio.
Omnes aliæ Fides, ut supra in Subdiaconatu, & Diaconatu.

§. 4.

Omnes interim, qui Clericali Militiæ nomen exoptant profiteri, sollicitudine, qua maxima possumus, monemus, ut in ipsis ea insit intentio, ut foris emicet, quæ *si recta fuerit, & simplex*, opera nostra munda facit, Deoque placentia, ut aiebat Augustinus (*a*).

§. 5.

Qua una si fuerint compulsi, dicto Tridentini Concilii audientes erunt, cum ea flagrent cupiditate, ut Deo fidelem cultum exhibeant, non quidem, ut otio torpescant, vitam nullo labore commodam traducant, ut lucra temporalia sectentur, atque Ecclesiastica inhiantes Beneficia suæ sint ambitionis compotes: magnus enim pudor est, inquit S. Gregorius Nissenus, *sacrarium ambire, tamquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem & subsidium ordinem sacerdotalem esse existimes*; hujusmodi Ministros suam intra Ecclesiam detestatur Dominus ex Divi Gregorii Magni Doctrina (*b*).

§. 6.

(a) *Lib. De Serm. Dom. in mont.*
(b) *Mor. lib. II. Cap. XXVI.*

§. 6.

Denique postremum nostrum ad eos convertimus sermonem, quorum fideli testimonio hæc omnia de Clericis ordinibus initiandis probanda erunt, ut moribus illorum maxime invigilent; quos si ad Sacrorum Canonum normam deprehenderint apposite comparatos, tunc hujusmodi honore dignos esse testentur.

C A P. XIII.

De Matrimonio.

§. 1.

PRæstat quam maxime, ut ea, qua par est Sanctitate, & minime neglectis, quæ a sacris conciliis præcipiuntur, Fidelium nuptiæ rite ineantur; sedulam proinde operam impendant animarum Rectores, ut Plebi sibi creditæ plane pateat hujus Sacramenti dignitas, & præstantia, quod magnum in Christo, & Ecclesia appellavit Apostolus; quo animo deinde debeant esse affecti, ut fructum illius percipiant qui Sacro hoc nuptiarum fœdere sunt conjungendi & quibus opus sit requisitis, ut sacrum ipsum connubium rite, recteque possit celebrari.

§. 2.

Cum autem hujusmodi Sacramentum illorum ex numero existat, quæ vivorum in scholis nuncupantur, jure suo in primis exposcit in suscipientibus Divinam Gratiam, & justitiam, qua sine nemo audeat illud inire, nisi antehac pœni-

nitentiæ Sacramenti virtute sit omni labe lethali purgatus, & sacra refectus Eucharistia, ne sacrilegio obstringatur.

§. 3.

At cum diuturna constet experientia, quamplurimos connubialia Jura ineuntes libidine potius, quam spiritualibus fructibus illuc cieri, atque adeo abripi; pro virili adnitantur Parochi evincere, & palam facere, quam religionem, & fidem sibimet debeant conjuges tueri, quam concordiam, & pacem inter sese mutuam fovere, quanto studio in alendos, educandosque filios incumbere, ne si hæc neglexerint, cœlestis ultio ipsorum familiæ immineat, de qua meminit Propheta (d). *Fiant Filii eorum orphani, & uxor vidua, & nutantes trasferantur, & mendicent*.

§. 4.

Matrimoniis porro contrahendis intersint Parochi ea accurate perficientes, quæ in Rituali Romano præscribuntur: primo, ut in Ecclesia ipsis Sponsis suam præstent operam ser. ser.; numquam domi, nisi cum quadam ex caussa Nobis ante probata id sit indulgendum; deinde Missam pro illis celebrent, & solemniter si benedicendæ sint nuptiæ, formulam in Missali præscriptam utique adhibeant; tum ut ipsa matrimonia rite celebrata peculiarem in librum referant, expressis Conjugum, & Testium nominibus, nec non die, mense, & anno; & denique, ut omnia hæc sua firmentur subscriptione, ne negligentes canonicis pœnis sint obnoxii juris ordine ferendis.

CAPUT XIV.

De vita, & honestate Clericorum.

§. 1.

PLenum quidem alearum opus aggredimur, cum de vita, & honestate Glericorum nobis sit instituendus sermo; at brevi expediemus, sacris literis, & sanctis Patribus ducibus, quam multa quam paucis complexi.

§. 2.

Quantum igitur discriminis inter veteris, & novæ legis sacerdotes intersit, tantum fas est, ut illis hi præstent sanctitate, & virtutibus.

§. 3.

Hujusmodi autem Sanctitatem utriusque Sacerdotii ex dignitate cum debeamus metiri, quippe conficiendum est, si ab illis hæc summa perquirebatur, qui victimas mactabant, oblationes, & munera offerebant, quæ umbræ censentur & figuræ, quanta, & quo excellentior necesse est, ut hæc eadem in his effulgeat, qui ipsius Domini personam gerentes, corporis Christi sacrificium peragunt, & ea conficiunt, & administrant Sacramenta, quæ gratiam, & justitiam rite suscipientibus conferunt. Quilibet enim novæ legis Sacerdos, scripsit Apostolus (a) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.*

§. 4.

(a) *Hebr. V.*

§. 4.

Quod vero ad hanc decernendam in nostris sacerdotibus sanctitatem spectat, e re maxime ducimus, verba Divi Paulli audire: *Oportet*, inquit (a), *ut seipsos præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate verbum sanum irreprehensibile, ut qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de illis.* Quibus omnibus & singulis perpensis ea colligitur sanctitas perquirenda, ut nulla major queat in hominibus effulgere.

§. 5.

Ad rem apposite Tridentina Synodus (b) explanavit, ideo sacerdotes opus esse bonorum operum exemplum præbere; ut cum ipsi per Ordinis excellentiam in sublimiorem locum sint evecti, in eos ipsos tamquam nitidissimum in speculum Fideles suos conjiciant oculos illhinc referentes, quod imitentur.

§. 6.

Huc autem numquam poterunt sacerdotes pervenire, nisi maximopere studeant, interiorem pietatem, huic exteriori congruentem fovere, quæ quidem aliunde nequit hauriri, nisi ab intima cum Deo Familiaritate, assiduis precibus, & sacrorum librorum lectionibus comparata, ut commodum Nepotiano scripsit Divus Hieronymus: *Divinas scripturas lege, immo de manibus sacra lectio numquam deponatur.*

 §. 7.

(a) *Ad Tit. Cap. II.*
(b) *Sess. XXII. de Ref.*

§. 7.

Omnes igitur in sortem Domini vocatos vehementer admonemus, ut vestitu, incessu, & sermone religionem, modestiam, & pietatem semper præseferant, præsertim cum Divinis Officiis, & Divinis celebrandis Mysteriis intersint; præterea ut sibi necessariæ parandæ doctrinæ impigram, & vel maximam navent operam, ut jure queant nuncupari sal terræ, & lux mundi, ne adversus eos congeratur, quod olim Deus per Isaiam conquestus est (*a*). *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt*; quamobrem in Concilio Toletano IV. hæc habentur, *ignorantia in sacerdotibus mater est cunctorum errorum*. Qua quidem effectum est, ut sexcentis malis Ecclesia, & populus fidelis undique diffluat, qui ab ipsis ignaris sacerdotibus interdum pro pane lapidem, pro pisce serpentem accipit: ita ut sacerdos illiteratus, & rudis, teste Divo Bernardo illis obsit quibus præest: Vita enim sine doctrina inutilem clericum facit ex Hieronymo in Aggæo.

§. 8.

Hujusmodi exemplum, quod christianis præferre debent sacerdotes, potissimum in integritate ponendum est; Hinc certe fit, ut qui Ecclesiasticæ Hierarchiæ mancipatur, omnibus sit præditus vel præclarissimis virtutibus: ex Divo enim Ambrosio (*b*) *Virtutes connexæ sibi invicem sunt, ac concatenatæ*; & ex Divo Gregorio (*c*) *Una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta*.

§. 9.

(a) *Isai. 36.*
(b) *Lib. V. in Luc.*
(c) *Lib. I. Mor. 36.*

§. 9.

Hic profecto collacrymantes, oportet, conclamemus: o tempora! o mores! quot enim sunt Ecclesiæ ministri non solum virtutum expertes, sed vitiis vel turpissimis obruti; ita ut tantum absit, ut suo exemplo ædificent, ut potius diruant, & funditus evertant? Huic tanto malo mederi cupientes, hæc quæ mox audient attexenda, edicimus, ut omnes in clericorum numerum relati omnino satagant perficere sub pænis canonicis juris ordine ferendis, atque aliis in pluribus Regiis Edictis expressis, & præsertim in iis die 26. Augusti anni 1797. & die 23. Augusti 1799. promulgatis.

§. 10.

In hanc rem ipsam perbelle cadere videtur, quod præcipimus, ut clericorum nemo sive in urbe, sive in Pagis audeat in publicum prodire nigri coloris veste non indutus: idcirco omnes cujuscumque Dignitatis mane semper vestem induant talarem, præsertim Ecclesiam adituri, vel Sacramenta administratum, vel Divina celebratum officia.

§. 11.

Hac veste ipsa, nobis jubentibus, domo egredientes numquam se exuant, qui sunt inferioribus ordinibus initiati, sicuti etiam & qui tirocinium ponunt: deinde qui aut a confessionibus sunt, aut animarum curam gerunt, ut ex tempore arcessiti decenter semper possint præsto esse; præterea Tonsuram, seu Coronam suo Ordini congruentem haud abborreant, comam nullo modo nutrientes, ne populo sint admirationi, vel potius ne ipsi admiranti debeant ludibria.

§. 12.

Hujusmodi bonorum operum Clericis tamquam lumen semper præseferendum exemplum jure, meritoque exposcit; ne sacerdotes veluti subrostrani, sive in capite Platearum dispersi rumores plerumque fabulosos aucupentur, atque inde quasdam concinnent evulgandas narrationes, quæ quidem otia fovent, quibus alienæ famæ detrahitur, & ipsa sacerdotalis dignitas vilescit, & pene miserandum in modum deperit. Quo magis hinc debent Clerici a popinis, commessationibus, & præcipue ab aleis Regni Legibus omnino prohibitis se abstinere? In Concilio enim Lateranensi IV. edicitur: *a crapula, & ebrietate omnes abstineant diligenter.*

§. 13.

Verum cum nihil magis Clericorum honestati possit officere, quam mulierum familiaritas; idcirco ipsis interdicimus, ut nulla necessitate compulsi eas obambulantes comitentur, atque earum domos frequentent: ex Augustini enim sententia, *minime decet clericos cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur.*

§. 14.

Ecquem præterit, profana spectacula mores corrumpere, negotiationem a literarum studio animos abducere? Itaque ut ab his, & mechanicis artibus etiam longissime absint, jubente Apostolo, edicimus, sicuti etiam hac eadem de caussa Concilium Lateranense consulentes (a) clamosas præsertim, & illi-

(a) *Cap. XXV. relat. in Cap. XIV. de vit. & honest. Cleric.*

licitas venationes ut evitent, maxime adhortemur: ex ipsius enim praescripto haec habentur: *venationem & aucupationem universis clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere praesument.*

§. 15.

Denique cum quilibet cujusque ordinis, & dignitatis muneri suo, atque Ecclesiae, cui mancipatus fuit, debeat facere satis, & inservire; omnino volumus, ut nusquam discedant, nisi caussa nobis probata, nostraque tradita literis venia obtenta, id idem Rege nostro dictante ex Edicto die 18. mensis Aprilis 1795. in vulgus edito.

§. 16.

Ut autem quisquis Sacrae Hierarchiae nomen professus ex Ecclesiae statutis, conciliorum canonibus, & sanctorum Patruum auctoritatibus vitam traducat, diu noctuque Apostolo studeat parere jubenti (a) in omnibus exhibere seipsum sicut Dei Ministrum in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, ut re vera, qui ex adverso est, vereatur nihil habens de ipso malum dicere.

CA-

(a) *Corinth. VI.*

CAPUT XV.

De Canonicis.

§. 1.

Cum capite superiore satis superque perstricta sint, quæ ad vitam, & clericorum honestatem generatim attinent, optimum duximus nonulla heic attexere, quæ cujusque ex munere suo peculiarem in modum intersunt.

§. 2.

A Canonicis igitur auspicabimur exordium, qui præcipuam cleri partem conflant; & præclarum Antistitis constituunt Senatum. Sed paucis expediemus, quippe quod, quæ Chori ad disciplinam pertinent, & statuta omnia, quæ prorsus ab ipsa sunt, ut rectissime adhibeantur, mox in medium sumus allaturi.

§. 3.

Vos itaque Fratres dilectissimi, qui dignitates, & canonicatus hac in nostra Metropolitana Ecclesia jam estis consequuti, omnibus aliis in sortem Domini vocatis debetis pietate, modestia, atque omni omnium virtutum genere adeo præcellere, ut non modo sitis ipsis primum inspiciendum, & prorsus imitandum exemplar, verum etiam ut iisdem ipsis hanc in Domini viam ingredientibus, & cursum hunc difficillimum jam currentibus stimulum addatis, & vires.

§. 4

§. 4.

Quo circa inter vos mutuam charitatem & pacem fovete, a vobis longe absint jurgia, & dissentiones, ut vos omnes admirabile quoddam in unum coalescatis corpus corde uno, unaque anima donatum: nam ita vos publice gerentes majorem Dei gloriam curabitis, munus vestrum studiosius perficietis, ac proinde Deo non solum præ aliis eritis acceptissimi, sed fideli quoque populo, qui vestram singularem pietatem, & religionem demiratus vos semper venerabundus laudibus in dies majoribus prosequetur.

§. 5.

Cum in dubium revocari nequeat, quin a nemine vestrum muneri suo fieri satis possit, nisi præsente, atque immorante; idcirco & hujus Cathedralis, & collegiatarum totius hujus diœcesis canonicis edicimus hortantes, ne peregre suis decedant Ecclesiis: nam etsi eis sit indultum quolibet anno non ultra tres menses abesse (*a*); id tamen non ita accipiendum est, ut nulla justa de caussa, sed pro cujusque lubitu liceat canonicis isthæc absentia. Non enim verisimile videtur, ut scite evincit Wan-Espennius (*b*) canonicorum genio voluisse Synodum indulgere.

CA-

(a) *Ex Trid. Sess. XXIV. de refor. Cap. XII.*
(b) *Part. I. Tit.VII. Cap.IX.*

CAPUT XVI.

De Parochis.

§. 1.

ETsi omnes in sortem Domini vocati quoque nostræ sollicitudinis in partem vocantur, Parochi tamen quodam peculiari jure una nobiscum in vineam Domini debent operam suam impendere, ut eam, nobis Auctoribus, impigro excolant labore, & electo frumento refertam, vepribus ante accurate evulsis, custodiant, atque ab impetu demolientium bestiarum penitus defendant.

§. 2.

Quamobrem primo ipsis præcipimus, ut ea omnia, quæ passim hujus Synodi ubique suam ad curam spectantia præcepta sunt, simul collecta sibi imposita intelligant, atque exequi quam accuratissime satagant minime ab his animum abjicientes, quæ huc perbelle accedunt animadvertenda.

§. 3.

Singulos igitur Parochos decet suam obire Paræciam, & sæpe numero perlustrare, ut oves sibi creditas cognoscant, Verbi Dei doctrina pascant; Sacramentis reficiant, atque ad recte agendum, sancteque vivendum suo bonorum operum exemplo alliciant, atque impellant; si autem scandala offendunt, isthæc studeant prorsus evellere, atque arcere; si inter ipsas lites, & dissidia exardescunt, subito solvant, & longe amoveant,

veant, ut, omnia cum sint in pace composita, æternæ summopere earum prospiciant, & prosint saluti.

§. 4.

Quolibet dominico, & festo die ex Tridentino (a) pro eis Sacrificium Deo offerant: pauperes, orphanos, viduas, ærumnis, & dubiis laborantes opportuno pietatis levent auxilio: Infirmos percrebro invisant, atque eis opem suppeditantes ad ultimum usque vitæ vigiles adsint, ut in osculo Domini efflantes animam quiescant.

§. 5.

Libri sint penes sese optime confecti, in quibus ex Ritualis Romani formulis, discrimine interposito, baptizatorum, confirmatorum, contrahentium matrimonia, & mortuorum nomina luculenter inscribantur. Præterea, ut Regio Edicto morem geramus, quo cautum est, ne a filiisfamiilias sponsalia de *futuro*, nec de *præsenti*, nullo prævio parentum publicis literis expresso consensu, ineantur Nuptiæ, alius ab illo matrimoniorum extet custodiendus liber.

§. 6.

Tum denique volumus, ut sibi attente & indicem conficiant, ubi missæ præstitutis diebus persolvendæ, & repertoria, ubi suæ cujusque Paræciæ suppellectiles, & redditus præsertim legalem in morem digesti ita adnotentur, ut perenni sint poste-

(a) *Sess. XXIII. Cap. I. De reforor.*

steris monumento; ad hæc ut accurate incolarum quotannis, veluti peracto censu, animarum numerum inde redeuntem in Tabulas referant, quorum omnium exemplaria vel ad nostram Archiepiscopalem Curiam deferenda curabunt, vel nobis Diœcesim obeuntibus objicient perlegenda, nisi, si secus fecerint, canonicis, & Regni pœnis velint esse obnoxii.

CAPUT XVII.

De Lectione Casuum Moralium habenda.

§. 1.

Cum apprime sui cuique sit necessaria suscepti muneris scientia, ut illius recte vicibus fungatur; nos hanc Apostolicam præ cæteris præclarissimam provinciam gerendam aggresi, nihil magis curavimus perficiendum, quam ut omnes nostræ diœceseos clerici eam sibi vel maximam compararent, ne ipsis ignorantiæ eorum, quæ debent cognosci, turpis inuratur nota, neque Dominus per Oseæm minetur (*a*): *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

§. 2.

Et quamquam omnia perfecimus, ut quisquis quæ necesse scitu forent, recte sui ordinis exercendi ergo, calleret, & aliquo publice faciendo periculo, plane nobis ante innotesceret hujusmodi sibi jam parta doctrina, quam ad illum promoveretur; tamen, nobis ipsis invitissimis, compertum est ex-

(a) *Osea IV. 6.*

experientia, eosdem illos jam sacerdotali signatos charactere a rerum Sacrarum studio ad alia, atque alia præsertim, quæ suæ dignitati minime decerent, animo prorsus abiecto, omnino perdidisse senes, quæ imberbes diu multumque didicere.

§. 3.

Istiusmodi igitur pessimo publico volentes commodum occurrere, ut & studendi ardor, & sciendi quædam impotens libido volventibus annis magis, magisque succrescat accensa, iis usi sumus stimulis, quibus ad quævis vel difficillima audenda excitari solent homines.

§. 4.

Positis itaque omnibus ob oculos præmiis, & pænis, atque in pristinum decus restituta Casuum moralium heic diu, quo fato nescimus, intermissa academia, effectum est, ut percrebris initis concertationibus, quibus in re literaria potissimum acuuntur ingenia, quisque studii sui, moralibus præcipue addiscendis insumpti specimen aliquod publice perpendendum daret: ex hac ipsa literaria arena, qui superior evaderet, laudibus cumulatus, & muneribus discessurus.

§. 5.

Quo ordine hujusmodi sint Conventus agendi, heic nihil novi jubentes, eamdem pristinam consuetudinem probamus servandam. Quocirca ut huic ipsi magis consulemus, omnibus cujusque dignitatis ex clero tum Sæculari, cum Regulari in civitate, & diœcesi præcipimus, ut statis diebus, & horis

fre-

frequentes illis intersint, & qui nulla legitima irretiti caussa abfuerint, pænis canonicis juris ordine ferendis, & Regio rescripto de die 26. Augusti 1797. satis admodum firmatis sit subjiciendus.

§. 6.

Qua de re qui præfectus huic gerendo negotio præest nos identidem commonefaciat diligentiæ, vel negligentiæ, ut a nobis cuique pro meritis tribuantur præmia, & pœnæ.

§. 7.

Quæ eo potissimum intenduntur, ut nemo unus ad ordines promoveatur, ad confessiones Fidelium excipiendas adprobetur, & facultas hæc si fuerit antea tributa, elapso temporis præstituto spatio, ad aliud minime proferatur, nisi Præfecto ex animo testante, eum quiquid jussum in id est, studiose peregisse, plane prius constiterit.

CAPUT XVIII.

De Seminario.

§. 1.

QUantum vitiosis, & corruptis moribus emendandis insudarint Tridentini Patres, neminem profecto fugit, qui vix a limine res Ecclesiasticas salutavit. At tot laborum tum sibi in animum induxerunt optatum fuisse fructum capturos, cum latis, atque acceptis saluberrimis Institutis Semminaria ex sua sententia conspexissent excitata.

§. 2.

§. 2.

Hæc quidem mirum quantum valent & Ecclesiasticam disciplinam incolumem ad servandam, & totius Sacri Ordinis summum ad extollendum decus. Hinc enim adolescentes a pueris usque virtutibus, & scientiis exornati, deinceps in vineam Domini transerti, tamquam arbores in diem crescentes fructuum ubertatem, nimirum dignos Ecclesiæ Ministros nos jubent sperare.

§. 3.

Qua propter cum hoc ipso nihil altius anima nostra insideat, nihilque nobis sit majori curæ, huic eidem operi instantes Synodalibus hisce decretis ipsi quippe vel in primis consulendum duximus.

§. 4.

Divino afflante spiritu jampridem accepimus, numquam contingere posse, ut arbor mala bonos ferat fructus, quamvis ager ferax, quamvis Agricola sit ingeniosus, & assiduus; idcirco e re maxime visum est nobis esse, ut ne vel una arbor mala hujusmodi inseratur solo, ut nempe ne vel unus adolescens aut animo male affectus, aut malis perditus moribus hoc nostro includatur Ephebeo. Quamobrem, si quis nobis inscientibus, huc irrepserit, tamquam morbida ovis continuo ejiciatur, ne totum suo veneno inficiat Ovile.

§. 5.

Ut igitur hujus Seminarii omnia semper vigeant jam invecta statuta, & quæ præsertim pietatem Christianam, &

 Dei

Dei spectant Religionem, omnes adhortamur, qui quoquo præ, sunt modo, suum ut in id vel improbum impendant laborem.

§. 6.

Si quis ex adolescentulis deliquerit, primum caritate admoneant; deinde pœnis coerceant, quæ nullum tamen neque vitæ, neque famæ periculum facessant; & ubi objurgationibus, atque hujusmodi animadversionibus perlatis nihil profectum sit ad nos referatur, ut opportuniore, quo possumus modo, istiusmodi avertendo malo subito occurramus.

§. 7.

Præceptores & literis, & pietate Juvenes sibi creditos pro captu penitus studeant imbuere, pudore præsertim percellentes socordes & diligentibus honore percitis comparando, & utilitate novos semper addentes stimulos, ut tandem cunctis vitiis acerrimo habitis odio, & longe eliminatis, una florescat excolenda virtus.

§. 8.

Apud omnes porro constat, quanto conatu a primo usque nostri hujus Præsulatus anno contenderimus, ne umquam a Seminario abessent Adolescentes, nisi studiorum omnium quibus illorum est ætas informanda, emenso curriculo, ne quæ singulatim, & diu collegerunt, universa, & uno tempore perderent; at quia quotannis, nobis ægre ferentibus, Autumnales Feriæ duos saltem ad menses sunt indicendæ, hos nostros juvenes jubemus domi suæ feriantes ab incepto cursu numquam de-

desistere, ut literis prorsus abditi, & Divinis Officiis quasi majorem navantes operam sint omnibus exemplo, & ut huc redeuntes fideli Parochi sui testimonio probati lubentissime excipiantur.

§. 9.

Et quoniam magna animi contentione expetimus, ut altaris ministerio illi cooptentur, qui Dei gloriæ, atque Ecclesiæ utilitati augendæ plurimo possunt usui esse, quod omne ex Tridentinis Patribus non aliunde, quam ab ipsis Seminariis licet sperare, haud quaquam lateat, id animo nostro fixum immotumque esse, neminem ad ordines promotum iri, nisi triennio toto ex Concordati lege heic fuerit immoratus necessariis erudiendus disciplinis, & rursus qui vitæ integer, scelerisque purus id accuratissime fuerit exequutus, eum, fore, ut singulari prosequamur benevolentia, & præ cæteris amplioribus honoribus, atque Ecclesiasticis cumulemus beneficiis.

CAPUT XIX.

De Monialibus.

§. 1.

Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquæ vivæ, si sedulo huc mentis aciem convertamus, nihil aliud quidem sibi volunt, nisi sacrarum virginum claustra: in quibus cælestis sponsus inter lilia pascitur, irrigui amplioris gratiæ rivuli confluunt, aquæ adservantur ad Cœlum salientes. Quis proinde humano potest assequi ingenio, aiebat Ambrosius (a):

(a) *Lib. VIII. de Virg.*

Quanta sit sacrarum Virginum dignitas, quibus laudibus ipsæ sint prosequendæ quæ in hujusmodi hortis cælestem vitam ducunt

§. 2.

Et re quidem vera, cum de Virginibus verba faceret Divus Cyprianus (*a*) sic loquebatur: *ipsæ sunt flos Ecclesiastici Germinis, ornamentum gratiæ spiritalis, illustrior portio Gregis Christi*: Virginitas enim adeo laudabilis est, ut nequeat naturali voce exprimi, quippe quæ supra usum naturæ est. Hinc Virgines quoniam neque *nubunt*, neque *nubentur*, Angelis comparantur; sed quia quo sublimior gloria est, eo major est adhibenda cura, ad vos, Virgines Deo dicatæ, hic instituitur sermo non potestatis, qua pollemus, imperio, sed paterni pectoris, quo flagramus, amore prolatus.

§. 3.

Vos igitur, quæ, solemnibus rite nuncupatis votis, paternæ domus commoda, sensus voluptates, sæculi pompas, atque illecebras irretortis abnuistis oculis, eam jam vitæ rationem suscepistis, quam Angeli cælestem vivunt; huc omne vestrum conferendum est studium, ut quamquam præ infesta dæmoni calliditate nulla sit satis diligentia; tamen quales Cælesti sponso devovistis, eas semper mente, corpore, verbis, & actibus, vos ipsæ geratis, ut illi soli servire possitis, & placere.

(a) *De Descrip. & hab. Virg. Cap. II,*

§. 4.

Hinc declinatis omnibus, quæ huic tantæ virtuti vel minimo possunt esse impedimento, ea modo accurate inquiratis, oportet, quæ ad pie, casteque vivendum faciliorem usque muniant atque expediant viam, quo merito dicamini vos Agnum sequi quocumque ierit. Ex Divo enim Cypriano: *Si Virginitas Regno Dei destinatur, quid illi cum terreno cultu, & ornamento?*

§. 5.

Ut autem id adsequi facile possitis, superiorum dicto prorsus audientes esse debetis, & præceptis legis, quam estis professæ, omnino parere: quo quippe continget, ut illius sponsi, de quo scripsit Evangelista, *erat subditus illis*, imago in vobis repræsentetur.

§. 6.

Quo circa haud quaquam vos pigeat Claustrum custodire, Orationi vacare, Divinas laudes persolvere, & cunctarum rerum, quas ejurastis, omnem abjicere curam; præterea cum illis, qui foris sunt, nisi vobis gradibus necessitudinis proximioribus sint conjunctissimi, colloqui vos pudeat, ne tempus frustra teratur, & rebus a vobis alienis præbentes aures ab æternæ via salutis deterreamini.

§. 7.

Hæc omnia, atque alia in S. Visitatione a nobis præscripta, atque heic confirmata sub S. obedientiæ præcepto exequi omnino satagant Moniales omnes hujus Civitatis, & Diœcesis cum

cum in Claustris perpetuæ, ut ajunt, *Clausurae*, tum in *Conservatoriis* degentes.

§. 8.

Hæc eadem ipsa cum religiosissimus Rex Noster Ferdinandus, quippe qui Canonum pervigil Custos est, jusserit penitus adimplenda suo Rescripto de die 11. Aprilis anni 1795. sub pœnis in ipso latis, eo majorem, exposcunt diligentiam.

§. 9.

Si qui demum sacrarum virginum pacem perturbare, aut ipsas ab incæpto Divino cursu utcumque abducere adnituntur, pro certo habeant, sibi illa imminere, quæ Episcopus moniales inaugurans auctoritate summi Omnipotentis Dei minitatur.

CAPUT XX., & Ultimum.

De Synodalibus Constitutionibus servandis; nec non de Synodi absolutione, & remissione.

§. 1.

Nulla alia de caussa canonicis sanctionibus Diœcesanæ Synodi celebratio est demandata, nisi ut per eam communi Ecclesiæ, & Fidelium bono consulatur, iis præsertim prospiciendo, quæ Divino Cultui augendo, Cleri Disciplinæ magis constituendæ, Populorum moribus ad leges conformandis summo sunt adjumento.

§. 2.

§. 2.

Huc quippe spectant, quæ in hac Synodo statuta a Nobis, & sancita sunt, non aliunde deprompta, quam ex Sacris literis, Conciliorum decretis, et Sanctorum Patrum Sententiis; quæ tamen omnia animi nostri devinctissimi argumento in Sanctam Romanam Ecclesiam Ecclesiarum omnium Matrem, & magistram, auctoritati, & judicio Sanctissimi Domini nostri Pii Div. Prov. Pp. VII. humillime subjicimus.

§. 3.

Cum autem non a sola Synodi Coactione Spiritualis fructus petendus sit, sed maxime ab Synodalium Constitutionum accurata executione; hinc in Domino confidimus, vos omnes, qui Synodo interfuistis, iis pio, atque alacri animo obsecuturos, & si quid emendatione egeat, primos in vobis emendaturos, ut aliis sitis exemplo, vestram in memoriam redigentes non solum nostri, sed Dei etiam adjutores esse, ac venerabilium Mysteriorum ejus dispensatores (a).

§. 4.

Cum vero Synodalibus hisce constitutionibus auctoritas nostra minime circumscripta sit, nostrum proinde erit, eas interpretari, moderari, dispensare, abrogare, vel iis etiam addere, prout saluti animarum videbitur prodesse, quod omne ex animo pollicemur, haud quaquam ante sapientissimo nostro inconsulto Rege perficiendum aggressuros.

§. 5.

(a) *Ad Rom. IV. & ad Philip. I. 9.*

§. 5.

Nostris interea Edictis præsertim in S. Visitatione edendis, quæ nimirum hanc ipsam Synodum perficiendam, sive planius explanandam spectant, dummodo hujus Regni Legibus congruant, Synodalem etiam auctoritatem impertimur. Hic nulla nobis inest suspicio, aliquem posse reperiri, qui hujusmodi Synodalibus Constitutionibus audeat intercedere: At si quis tanta extiterit impudentia, atque audacia, ipsi palam fiat, non solum Supremo Dei judicio, verum etiam pœnis canonicis hujus Regni legibus firmatis subjiciendum esse.

§. 6.

Gratias tandem agamus ingentes, immortalesque habeamus omnipotenti Deo pro felici hujus ejusdem Synodi exitu, quam nunc suis omnibus absolutam numeris decernimus, & denunciamus, ac proinde per Nos liceat cuilibet nostra Pastorali Benedictione, & pace donato discedere.

Nos Salvator Archiepiscopus Salernitanus ita definientes subscribimus.

Fabius Can. d'Avossa a Secretis.

SY-

SYNODI ADPROBATIO.

PRæsentium vigore pateat, & innotescat, quod anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo octingentesimo tertio, Indictione sexta, die vero vigesima octava proximi elapsi mensis Februarii coram Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Salvatore Spinelli Archiepiscopo Salernitano in palatio suæ residentiæ convocatis, & capitulariter congregatis Dignitatibus, & Canonicis majorem partem Reverendissimi Capituli ejusdem Cathedralis metropolitanæ ecclesiæ constituentibus ipsisque de mandato ejusdem Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi, clara, & intelligibili voce lectis decretis, quæ evulganda & ferenda erant in diœcesana synodo sequenti die habenda, ac per ipsum Excellentissimum, ac Reverendissimum Archiepiscopum requisito consilio eorumdem DD. Dignitatum, & Canonicorum sic capitulariter congregatorum, ipsi unanimiter prædicta decreta laudaverunt, & summopere probarunt. Kalendis vero Martii feria III. post Dominicam primam Quadragesimæ, & feria IV. immediate sequenti, Pio VII. Pontifice Maximo, Ferdinando IV. Rege, in Cathedrali Metropolitana Ecclesia Salernitana, præsidente eodem Excellentissimo, ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo, ac præsentibus iisdem Dignitatibus, & Canonicis Reverendissimi Capituli, nec non Canonicis Deputatis Collegiatarum insignium hujus diœcesis, Parochis civitatis, & diœcesis, universoque clero per edictum legitime vocatis, & congregatis, post missam pontificalem, omnibusque aliis juxta Pontificalem peractis, per Reverendissimum Dominum Fabium d' Avossa Canonicum presbyterum hujus Cathedralis Ecclesiæ, ac Synodi Secretarium, alta, & intelligibili voce e suggestu lecta fuerunt; interrogatique; *Placet ne vobis, ut eadem decreta feran-*

rantur, omnes responderunt, *Placet*. Et instante Reverendissimo Domino Aloysio Maza hujus Cathedralis Ecclesiæ metropolitanæ Primicerio; & Synodi promotore, ut ego tanquam synodi notarius de omnibus publicum conficerem instrumentum; ideo de prædictis rogatus præsens publicum instrumentum solito Archiepiscopalis Curiæ sigillo munitum confeci, subscripsi, & pertuli, præsentibus tanquam testibus, audientibus, intelligentibus, & rogatis Rev. D. Petro de Maria, D. Matthæo Pagliuca, aliisque quamplurimis &c. Et in fidem &c.

Locus ✠ *Sigilli*.

Joseph Cunto Synodi Cancellarius.

STATUTI
DEL
REVERENDISSIMO CAPITOLO
DELLA
CHIESA METROPOLITANA
DI SALERNO.



Roborati di Regio Assenso nel 1804.

FERDINANDUS IV.

DEI GRATIA REX UTRIUSQUE SICILIÆ, ET HYERUSALEM &c. INFANS HYSPANIARUM, DUX PARMÆ, PLACENTIÆ, ET CASTRI, AC MAGNUS PRINCEPS HEREDITARIUS ÆTRURIÆ &c.

Reverendis in Christo patribus quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis, Cleris, Capitulis, & aliis Ecclesiasticis, & Religiosis personis totius hujus Regni, & signanter Diœcesis . . . . . Illustribus quoque spectabilibus quibuscumque Baronibus titulatis, & non titulatis, Gubernatoribus, Auditoribus, Capitaneis, Assessoribus, Syndicis, Electis, Universitatibus, & aliis quibusvis personis, & Officialibus quacumque auctoritate, & potestate fungentibus, seu eorum locumtenentibus, & substitutis ad quos, seu quem præsentes pervenerint, vel fuerint quomodolibet præsentatæ. Fidelibus devotis dilectis gratiam nostram, & bonam voluntatem, nuper pro parte infrascripti supplicantis fuit nobis porrectum infrascriptum memoriale, cum relatione facta per Curiam Reverendi Regii Capellani Majoris tenoris sequentis v3. = S. R. M. = Per parte dell' infrascritto supplicante mi è stato presentato l' introscritto memoriale del tenor seguente v3. = Il Procuratore del Capitolo della Cattedrale Chiesa Arcivescovile della Città di Salerno con umili suppliche l' espone, come il detto Capitolo con capitolar conclusione ha formati li suoi Statuti per lo retto, ed ordinato governo del medesimo, e dell' individui, che lo compongono, e siccome ha risoluto di umiliare li detti Statuti, e re-

gole alla M.V., perchè si degni accordare il suo Real Assenso, acciò possano aver vigore di leggi permanenti per l'avvenire. Il supplicante in detto nome ricorre dalla M.V., e la supplica rescrivere alla Curia del Reverendo Regio Cappellano Maggiore, perchè esamini li prefati Statuti, e riferisca alla M. V. per poters' in seguito accordare il Regio Assenso in forma, e l'avrà *ut Deus &c.* Il Dottor Giuseppe Casoria Procuratore di detto Capitolo supplica come sopra = *Adest Signum* = *Lama* = *Capta est ratio* = *Ammora* = *REVERENDA CURIA CAPPELLANI MAJORIS VIDEAT, ET IN SCRIPTIS REFERAT* = *Cianciulli* = *Vidit Advocatus Realis Coronæ* = *Caravita* = *Illustris Marchio de Jorio Præs. S.R.C. & cæteri Aularum Præfecti tempore subscriptionis impediti* = *Provisum per Realem Cameram Sanctæ Claræ* = *Neapoli die 4. mensis Februarii 1804.* = *Ammora* = E col suddetto memoriale mi sono stati presentati gl'infrascritti Statuti, cioè:

S T A T U T I

Del Reverendissimo Capitolo della Chiesa Metropolitana di Salerno.

I Capitoli delle Chiese Cattedrali, che in subentrando nel luogo dello antico Presbiterio, vennero a formare il Senato del Vescovo, arricchiti furono da tempo in tempo dalle Supreme Potestadi Ecclesiastiche, e Laicali, e di privilegi, e di decorazioni, a norma sempre, ed a seconda del lustro, e sblendore della Città, in cui la Sede tenne il capo della maggiore Chiesa della Diocesi. Il Capitolo della Metropolitana di Salerno, come quello, che sua residenza ebbe in una Città sì fattamente illustre, quanto i sacri, e profan' istorici da per ogni do-

dove ne descrissero i preggi, fu sempre mai tra gli altri con somma distinzione riguardato. E di fatti le non comuni onorificenze, che lo adornano, e 'l numero degl' individui, di cui è composto, lo han fatto tenere in ogni tempo nel massimo riputamento. Ben lo mostra il titolo di Canonici Cardinali, del quale si veggono ess' individui decorati, e che non ostante il divieto fatto da' Sommi Pontefici, e massime da Paolo III., e S. Pio V., a tutt' i Capitoli di Chiese Cattedrali, che simile titolo appropriati si avevano, di non più avvalersene, ma deporlo, pur tutta volta il Capitolo Salernitano lo ha sempre ritenuto, come ritienlo illeso, anche per attribuircelo nomitamente l'Apostolica Dateria colle rispettive bolle, che ne spedisce nelle occorrenti vacanze de' predett' individui, che lo compongono. Lo appalesa il triplice ordine, in cui è ripartito il medesimo Capitolo, tutto simile a quello del Sacro Collegio de' Cardinali. Conciosiacchè, siccome quello vien composto di Vescovi, Presbiteri, e Diaconi; così questo, al par di esso, è formato da Dignità, Presbiteri, e Diaconi. In fine concorrono eziandio a pro del Capitolo Salernitano, dopo il titolo di Canonici Cardinali, e dell' ordine divisato, alcune insegne, e vestimenti, tutti proprj de' Cardinali. Facendo uso i suoi Canonici nelle sacre funzioni, e nelle pubbliche processioni, che occorrono in Città, e Diocesi della Mitra serica damaschina, del Rocchetto, Cappa, e Mozzetta di seta color cremisi, o violaceo, nella forma simile a quella de' Cardinali; con variare nella diversità de' tempi a norma della liturgia.

Ma con tutto ciò in un sì fatto illustre Collegio correva una tale improporzione nelle prebende, le quali assegnate trovavansi a cadaun suo individuo, che senza la debita egua glianza venivano essi considerati. E quindi fu che per

maggior servizio della sua Chiesa, si adottò l'economia di unir le di lei rendite in una massa comune; anche sull'esempio de' più ben regolati Capitoli del Regno. Per la qual cosa fu fatto all'uopo da esso Capitolo un ben distinto, e ragionato piano, da eseguirsi però allora quando, colla mancanza de' possessori delle nominate prebende, ch'erano soprabbondanti, venisse a formarsi la desiderata eguaglianza delle rendite predette. Ed in sequito, umiliatosi tale piano dal medesimo Capitolo con suo ricorso al Real Trono, perchè, mediante Reale approvazione, mandato si fosse ad effetto; la M. del Re, N. S., dopo di aver inteso l'attuale Arcivescovo di Salerno Monsignor D. Salvatore Spinelli, e fatta esaminare la domanda dalla Real Camera di S. Chiara, si compiacque di approvarlo con Real Carta de' 27. Ottobre 1798. Consideratosi però da detto Capitolo, che per la maggior osservanza del divisato piano, e pel più esatto regolamento della nominata Chiesa, bisognate pur sarebbero talune certe regole determinate, e fisse; tenutane capitolar conclusione sotto il dì 21. Novembre del medesimo anno 1798., ne avanzò le premure al detto attuale Arcivescovo, acciò coll'assistenza di due Canonici, specialmente da esso Capitolo deputati, avesse disposto di formarsi per detta Chiesa i suoi Statuti, de' quali per lo addietro n'era stata sfornita. Adunque il prelodato Monsignor Arcivescovo, assistito dai detti due Canonici deputati, cioè D. Luigi Maza, e D. Scipione Bassi, mettendo in proprio ordine i particolari usi, e lodevoli consuetudini della nominata Chiesa Salernitana, ha dettato i sequenti Statuti; li quali dovranno per lo avvenire esattamente osservarsi dal di lui Capitolo, subito che muniti saranno della Sovrana approvazione.

CA-

CAPO I.

Dell' Arcidiacono.

L'Arcidiacono è la prima Dignità del Capitolo. Essendo quindi assente, o impedito l'Arcivescovo, ad esso appartiensi supplire le di lui veci nel pontificare così in coro, che nello altare in tutte quelle festività, e funzioni più solenni, le quali sarebbero di spettanza del Prelato. Non potrà però egli ciò delegare ad altri; giacchè, in di lui mancanza, succeder dee il più degno, come in appresso sarà denotato.

A cagione di tale obbligo, che ha esso Arcidiacono, ed in di lui assenza, le altre due Dignità di pontificare nello altare, e nel coro, tutte le volte, che manca, o è impedito l'Arcivescovo, continueranno esse Dignità, anche dopo postas' in piedi la massa comune, ad esser esenti dal fare da ebdomadario, e da cantare le messe conventuali.

Presiede regolarmente nel coro, e procurar deve il buon ordine nel medesimo, e la esattezza delle sacre funzioni, così nella propria ebdomoda, come allorchè convengono in esso tutti gl' individui del Capitolo. Il distribuire però le antifone, il dare le lezioni, e 'l conchiudere l'offizio appartiensi al capo coro; all'infuora de' tre giorni dell'offizio delle tenebre, ne' quali, in mancanza dell' Arcivescovo, esso Arcidiacono intona la prima antifona, e quella del *Benedictus*, e conchiude l'offizio col *Respice quæsumus Domine &c.*

Gli spetta pure di servire l' Arcivescovo ne' pontificali in qualità di prete assistente, siccome vien prescritto dal Ceriomoniale.

Nelle funzioni, in cui interviene tutto il Capitolo, e per circostanze accidentali non si combinano coll'orario della

Chiesa, all' Arcidiacono si appartiene dar l' ordine per la mutazione delle ore.

In tutte le processioni occupa il primo luogo; però se il numero de'Canonici è pari, andar deve accoppiato, o con altra Dignità, o col Canonico, che agli altri precede.

Nell' esequie di una delle altre due Dignità, piglia il primo fiocco di avanti della coltre, ma in quella de' Canonici, occupa il solito luogo, ché gli si appartiene in tutte le altre processioni.

Ne' congressi capitolari, che, precedente cedola, si tengono dal Capitolo, presiede l' Arcidiacono tutte le volte, che per qualunque impedimento non v' interviene il Vicario Generale, o il pro Vicario.

Ha oggi la prebenda eguale agli altri Canonici, a cagione della massa comune, col precipuo solo di annui ducati cinquanta.

CAPO II.

Del Cantore.

Il Cantore è la seconda Dignità, e se gli deve il secondo luogo, ed onore sì in Capitolo, che in coro; con succedere a tutte le preminenze dell' Arcidiacono, quando questi è impedito, o assente.

Nel coro però a lui spetta il correggere, se nella recita, o canto dell'offizio non si osservino le dovute pause, o regole del canto, cioè, se il tuono del salmo non corrisponde a quello dell' antifona, o il salmeggio è soverchiamente frettoloso, o in altro difetti.

Nel pors' in piede la massa comune, avrà la prebenda eguale agli altri Canonici, col precipuo di ducati trenta annui;

CA-

CAPO III.

Del Primicerio.

L'officio del Primicerio, terza, ed ultima Dignità, si è di fare, in assenza del Cantore, tutto ciò, che a questo si apparterrebbe; se fosse presente; come altresì, in mancanza di ambedue le Dignità, succede in tutte le di costoro preminenze, e specialmente in quella di pontificare ne' giorni, e funzioni, che all'Arcivescovo apparterrebbonsi, se non fosse assente, o impedito.

Oltre della prebenda eguale agli altri Canonici, ha il precipuo di annui duc. venti.

CAPO IV.

De' Canonici diaconi.

Quattro sono i Canonici diaconi, ed essi, in virtù di una convenzione passata nel secolo XVI. tra' medesimi, ed i Canonici presbiteri, a questi ultimi precedono in tutte le funzioni; cioè nelle processioni, esequie, aste di baldacchino, luogo, incenso, ed in tutt'altro.

I medesimi però mai posson fare da capo nel coro, perchè nel coro presiede sempre una delle Dignità, o in di costoro mancanza, il primo Presbitero. L'uso costante bensì della Chiesa si è, che la Dignità, o Presbitero nel distribuire le antifone, e lezioni, deve assegnare la più degna al Canonico diacono.

Sono i Diaconi esenti dal regolare l'offizio, tutte le volte, che vi è in coro qualche Presbitero, nè sono obbligati a can-

a cantar messa, in fuori del caso di funerale di qualche Canonico diacono; nel quale deve di necessità uno di essi cantarla. Tali esenzioni però dovranno aver luogo fino a tanto, che non saranno le prebende de' Diaconi in massa comune, quale trovasi oggi stabilita nella Cattedrale con Reale approvazione. Perciocchè, cominciando a godere de' vantaggi di detta massa comune, dovranno i medesimi portar tutti quei pesi, cui soggiacciono i Canonici presbiteri; al pari che godranno di tutti gli emolumenti, ed onori. Quindi saranno gli Diaconi ammessi a votare anche nell' elezioni di alcuni officiali del Capitolo, nelle quali prima non avevano voto.

I Canonici diaconi avevano anche l'obbligo di far da diacono in ogni giorno per ebdomoda nella messa conventuale; ma poi nell'anno *1609.*, mediante publico istrumento, si obbligarono di pagare ducati otto ai Mansionarj, affinchè i medesimi, in loro vece, facciano da diacono in tutt' i giorni. Di questa somma di duc. otto, se ne pagano ducati cinque dai primi due Diaconi, e ducati tre dagli altri due. Ritennero bensì, in virtù dello stesso istromento, l'obbligazione di far da diacono ai Presbiteri tre mesi per ciascuno, tutte le volte, che questi celebrano con mitra, o sia facciano pontificale; però nella sola Cattedrale, o nella Chiesa del Santissimo Salvadore, ch' è grancia del Capitolo.

Sono poi essi Diaconi in obbligo di fare da assistenti all' Arcivescovo tutte le volte, che questo siede nel trono. Una tale assistenza però nelle funzioni solenni si presta da' Diaconi seniori, in tutte le altre da' Diaconi juniori.

CA-

CAPO V.

De' Canonici presbiteri.

Sono al numero di ventiquattro i Canonici presbiteti. Essi hanno l'obbligo di cantare nelle proprie ebdomade le messe *pro benefactoribus*, senz' alcuno stipendio nella Basilica superiore, e le messe cantate con elemosina nello altare di S. Matteo nella Basilica inferiore. Così delle une, che delle altre messe ne spetta a ciascun Canonico l'eguale tangente, a proporzione del numero, ch'è necessario per formars' il pieno di due messe cantate giornaliere; cioè una nella Basilica superiore, e l'altra nella inferiore.

Al decano de' ventiquattro Canonici presbiteri incumbe fare da prete assistente all'Arcivescovo in tutte le funzioni, che il medesimo farà. In fuori de' soli pontificali, ed ordinazioni, ne' quali è obbligato l'Arcidiacono, ed in di lui mancanza, una delle altre due Dignità.

CAPO VI.

Del Canonico penitenziere.

Il Penitenziere è uno de' ventiquattro Canonici presbiteri, e nel pors' in piedi la massa comune, ha la prebenda eguale agli altri; col precipuo di annui duc. venticinque.

Ha la facoltà, e giurisdizione, che *de jure* se gli appartiene, e si ha per presente al coro nelle sue ebdomade, allorchè ascolta le confessioni nella Chiesa Cattedrale.

Sarà assiduo nel confessionile, e specialmente nelle feste

più

più solenni; e dovrà esser pronto ad ogni chiamata, che gli venga fatta in Chiesa.

Se gli appartiene per antica costumanza di regolare l'offizio, e di cantare l'ultima lezione nel giorno della commemorazione di tutt'i morti, e di cantare anche la messa solenne, qualora in detto dì per assenza, o impedimento non si canta dallo Arcivescovo. Come altresì ha la prerogativa di cantare la messa solenne nel giorno delle Ceneri, e nella mattina del Venerdì Santo, qualora non si canti dall'Arcivescovo.

CAPO VII.

Del Canonico teologo.

E' il Teologo uno de' ventiquattro Canonici presbiteri, ed avrà per la massa comune la prebenda simile agli altri; col precipuo però di annui duc. venticinque.

Ha l'obbligo della lezione della sacra Scrittura ne' giorni stabiliti nella Bolla di Benedetto XIII. che comincia *Pastoralis Officii*, o per se stesso, o in caso di diuturno impedimento, per mezzo di di lui sostituto idoneo. Tale lezione è stato solito farsi nel giorno dopo li vesperi, coll' intervento forzoso del Clero secolare, e regolare.

Egli il Teologo si considera presente nel coro per tutt' il giorno, in cui fa la lezione.

CAPO VIII.

Dell' offizio de' Canonici.

Fuori del coro, sono i Canonici obbligati ad osservare colla maggior' esattezza ciò, che prescritto viene da' sacri canoni sulla vita, ed onestà de' Clerici; giacchè devono essere i medesimi la norma, e l' esempio di tutto il Clero. Quai stabilimenti non fa mestiere di qui rapportarli, come quelli, che ad essi Canonici debbono essere ben noti.

E' dovere poi di ciascun Canonico intervenire in tutte le funzioni della Chiesa, e nelle processioni, che si soglion fare coll' intervento del Capitolo; recandos' in Chiesa sempre in abito decente, e decoroso, qual' è il talare; ed evitando in essa qualunque contrasto; e sciogliendo qualsivoglia contesa, con far sempre uso in ogni occasione della cristiana dolcezza.

CAPO IX.

Del Capitolo, e Canonici, relativamente alle ore canoniche.

Il coro è servito dalli Canonici divisi in tre ebdomade, a tenore della Bolla di Benedetto XIV. dell' anno 1742. Colla quale si prescrisse, che in tutt' i giorni di ciascuna ebdomada, la terza parte de' Canonici, cioè una Dignità, ed almeno nove Canonici dovessero servire la Chiesa, ed intervenire al coro; cantare le ore canoniche, e celebrare le altre chiesastiche funzioni; situandosi una metà di essi da un lato, e l' altra metà dall' altro lato del coro. Nella prima ebdomada presta il servizio l' Arcidiacono, due Canonici diaconi, ed

ed otto Presbiteri : nella seconda il Cantore, un Canonico diacono, ed otto Canonici presbiteri; e nella terza finalmente, il Primicerio, un Diacono, ed anche otto Canonici presbiteri.

Nella Quaresima però il coro è servito dalla metà de' Canonici; dividendosi essi nel modo seguente. De' Canonici, che sono di ebdomoda nella Domenica di sessagesima, i juniori si uniranno a quei, che prestano il servizio per ebdomoda nella prima Domenica di Quaresima, ed i seniori accrescansi a quei, che sono di ebdomoda nella seconda Domenica di Quaresima. Nella Domenica poi di Pasqua di resurrezione, ciascun Canonico ritorna alla sua ebdomoda, e questi Canonici, che sono stati divisi, unitisi nuovamente insieme, incominceranno la loro ebdomoda nella Domenica *in albis*.

In tutte le Domeniche poi fra l'anno, ed in tutt' i giorni festivi in onore di N. S. Gesù Cristo, della Beatissima Vergine, e di tutt' i Santi Apostoli, e quante volte nella Cattedrale vi sono pontificali, sono in obbligo le Dignità, e Canonici intervenire tutti nella messa conventuale, in alcuni de' vesperi, e nelle processioni, che si fanno nel distretto della chiesa; e ciò nel modo appunto, che distintamente trovasi determinato nel catalogo formato dal Capitolo nel dì 28. Febraro 1784., il quale tiensi affisso nella sacristia, e che dovrà infallibilmente pello avvenire osservarsi. Sono anche obbligati le Dignità, e Canonici tutti intervenire in due anniversarj, cioè in quello del fu Arcidiacono D. Biaggio de Vicariis, che cade a *6.* Settembre, ed in quello del fu Arcidiacono Granita, che si celebra ai *16.* Novembre. In tutti gli altri è obbligata la sola ebdomoda. Vi sono anche alcuni anniversarj, de' quali in virtù di convenzione non partecipano le

le Dignità, e Diaconi, fin tanto che le di costoro prebende non passano in massa comune, ed il costume si è di celebrare tali anniversarj, o prima, o dopo del coro, e delle altre chiesastiche funzioni, per evitare lo sconcio di uscir dal coro le Dignità, e Diaconi.

Ne' giorni 3., e 4. Novembre, celebrandosi gli anniversarj per gli Arcivescovi, e pei Canonici, son pure in obbligo d' intervenire tutti, sotto pena della multa di grani cinque per gli assenti senza legittima scusa.

Come altresì son' obbligati tutti del Capitolo ad intervenire nell' anniversario, che suol celebrarsi pell' ultimo Arcivescovo passato a miglior vita.

L' ebdomadario è sempre uno de' ventiquattro Presbiteri per turno; cioè una settimana per ciascuno, e 'l di lui obbligo si è di diriggere l' offizio, e cantare la messa nella propria ebdomoda. Passate però, che saranno in massa comune le prebende de' Canonici diaconi, dovranno ancora questi sottomettersi allo stesso peso.

In tutte le solennità di prima, e seconda classe, vien cantato coll' organo il primo notturno del mattutino, l' ultima lezione, che si canta dall' ebdomadario, il *Te Deum*, ed il *Benedictus*, le due messe cantate, e finalmente li primi, e secondi vesperi. Nelle Domeniche si fa uso ancora dell' organo nella sola messa cantata. Ne' giorni feriali poi si canta senz' organo il solo primo notturno del mattutino, il *Te Deum*, terza, le due messe, vesperi, e compieta.

La campana dà il segno, sì per lo mattutino, come per le ore, e per li vesperi. La diversità delle ore, in cui deve sonarsi la campana pel mattutino, e per li vesperi, è stabilita nella tabella oraria, che si tiene affissa nella sacristia, la quale non potrà cambiarsi senza l' approvazione dell' Arcive-

I sco-

scovo. Si permette solo il poter l'Arcidiacono far anticipare il suono della campana per lo mattutino, e vesperi, quando vi sono funzioni straordinarie, o vi concorre altra legittima causa. Chi presiede però al coro, deve per lo buon regolamento della Chiesa mattina per mattina dare l'ordine di sonarsi la campana per le sole ore canoniche.

Dopo, che sarà sonato il segno del mattutino, e sarà passato un quarto di ora, subito devesi andare in coro, senz' aspettarsi altra persona, e deve l'ebdomadario dar principio al mattutino, o al vespero; sotto pena della puntatura, cui sarebbe soggetto, se fosse assente.

Nell'andare in coro, saranno tutti vestiti degli abiti corali, e procedendo con tutta modestia, e compostezza, andranno direttamente alli loro stalli.

Nelle messe cantate, nelle quali fa pontificale un Canonico con mitra, devono i Canonici accompagnare il celebrante dalla sacrestia fino avanti l'altare, dove, fatta profonda riverenza, ciascuno dovrà portarsi al proprio stallo.

Chi non si trova presente in coro prima, che finisca l'inno del mattutino, o pure avanti che termini l'ultimo Kyrie della messa, o vero avanti, che termina il Gloria Patri del primo salmo di ciascun'altra ora, sarà puntato come assente, e perderà le distribuzioni corrispondenti a quell' ora, o messa.

Dovranno tutti assistere in coro con ogni riverenza, silenzio, compostezza, e modestia. Quindi nel tempo de' divini offizj, è vietato di ciarlare, il dormire, il leggere lettere, o libri, ed anche il dire privatamente l'offizio. Ma non basta per li Canonici il solo assistere al coro, ed intervenire agli offizj divini, devono essi accompagnare colla loro voce il canto, e la recitazione delle ore canoniche, che ad alta

alta voce si fa dagli altri. Devesi recitare poi l'offizio colla divozione, ed attenzione dovuta, con proporzione di voce, senza precipitazione, o troncamento di parole; facendosi un poco di pausa nel mezzo del versetto del salmo, e non incominciando il versetto una parte del coro, prima che l'altra non abbia finito il suo; stando ogn'uno con berretta, ed alzandosi, e sedendo quando conviene, per darsi al popolo quella edificazione, che si richiede nelle sacre funzioni. Soggiaceranno irremisibilmente i trasgressori alla multa de' punti corrispondenti a quell'intera ora, in cui è avvenuta la trasgressione.

Se dovrà uscire dal coro alcuno de' Canonici, è obbligato chiedere il permesso a chi nel medesimo presiede, con una semplice riverenza; purchè lo faccia per qualche urgente necessità, e non tanto spesso. Essendo però nel trono, o in coro l'Arcivescovo, ad esso conviene chiedere tal permesso.

Nel coro, e nelle chiesastiche funzioni fanno uso i Canonici de' mozzetti, e cappe, secondo la diversità de' tempi, a tenore della tabella, che tiensi affissa nella sacrestia della Cattedrale.

Perdono le distribuzioni quotidiane le Dignità, e Canonici, i quali senza legittima causa, non intervengono al coro, ed alle altre chiesastiche funzioni. Possono però sostituire altri, che non sono di attuale servizio; purchè tali sostituzioni non siano così frequenti, e non oltrepassano tre mesi continui, o interrotti.

Devono aversi per presenti li Canonici, che assistono all'Arcivescovo, mentre fa pontificali in Città, o ne' Sobborghi.

Non solo la grave infermità scusa dallo intervento al coro, ma ben anche la leggiera, qualora vi è prudente sospet-

